N.° 11.

INSTITUTIONES

PHILOSOPHICAE

IOANNIS BAPTISTAE RASTERO

PRESBYTERI, PHILOSOPHIAE PROFESSORIS

IN SEMINARIO AQUENSI

VOLUMEN I

LOGICA

GENUAE

EX TYPOGRAPHIA IUVENTUTIS

1874.

INSTITUTIONES PHILOSOPHICAE

VOLUMEN I

LOGICA

INSTITUTIONES
PHILOSOPHICAE

IOANNIS BAPTISTAE RASTERO

PRESBYTERI, PHILOSOPHIAE PROFESSORIS

IN SEMINARIO AQUENSI

VOLUMEN I

LOGICA

GENUAE

EX TYPOGRAPHIA IUVENTUTIS

1874.

EXCELL.MO AC REV.MO

SALVATORI MAGNASCO

ARCHIEPISCOPO GENUENSI

Institutiones hae philosophicae, Excell.me ac Rev.me Antistes, quae nunc primum typis traduntur, humanitati tuae potius commendandae sunt quam Nomini ac Dignitati dicandae. Quae enim vel quanta est persona, aut doctrina mea, ut aliquid dignum Auctoritate tua ac sapientia summa, qua fulges, ipse proferre possim? Equidem mens pro viribus adlaboravit, ut Tibi opus saltem haud despiciendum, atque instituendae iuventuti non prorsus inutile, exinde emergeret: quapropter si ex fine recto, grandique quo motus sum affectu, rem totam existimaveris, hanc tibi haud displicituram fidenter spero. Opus autem in se, si quid habet cur Tibi arrideat, id

tui seminis iam pridem consiti fructus est. Te enim, quem nos Genuenses Sacerdotes optimum modo Antistitem unanimes veneramur, fere omnes quondam in sacris disciplinis Magistrum frequentabamus colebamusque. Quod vero omnes norunt, adnotabo. Amplitudo sapientiae tuae non ita sacris limitibus coercebatur ac finiebatur, ut philosophicis etiam speculationibus, prout id tempus et materia ferrent, non indulgeres. In utroque autem ordine, immutabili tuae methodo inhaerens, Doctoris Angelici theorias tanta virtute ac luce proponebas et enucleabas, ut quot discipulis exhiberes, totidem ferme ipsi arriperent et intelligerent; intelligendo autem lau-

darent, eoque vehementissimo affectu, quo erga S. Thomae doctrinam Tu ipse, Praeceptor optime, urgebaris, accenderentur. Quid mirum porro, si idem ille amor, in diem succrescens, eo usque me contulit, ut meae tenuitatis oblitus, inquirerem an facilior aliquis superesset modus ad latius doctrinam Doctoris Angelici, qua parte philosophiam spectat, disseminandam? Atque haec mea unica intentio fuit, hic finis omnis laboris mei; cui si res probe respondeat, iam vides, praemotionis tuae efficaciam in opere, quod tibi vovetur, ex se se patefieri.

Et nunc conticescam. Ausui meo parcas; ac pro tua singulari bonitate mihi in genua provo-

luto annulumque deosculanti, benedicito volens, Excell.^{me} Praesul, cordisque sincerum obsequium excipe, quo te impense colit

Datum Gavii, VI cal. Ianuarias
an. MDCCCLXXIV.

Humillimus ac Dev.mus in X.to Filius

SAC. IOANNES BAPTISTA RASTERO.

LECTORI BENEVOLO

Philosophia, magnis utique verisque innixa principiis, si alias unquam, hac nostra imprimis aetate summopere necessaria est. Nam, (ut colligitur ex Proemio Constitut. dogmat. de fide Catholica editae in sessione tertia Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani) iam non modo a Deo revelata dogmata, christianaeque religionis documenta, sed ipsae primae naturales veritates publice irridentur ac pessumdantur. Quid vero tandem ex tam immani errorum colluvie effrenaque superbia, nisi universalis scepticismus ac late patens corruptela morum effluere aliquando potest? **Philosophiae necessitas hac nostra potissimum aetate.**

At vero illa quidem philosophia dignissima, quae mentes hominum eorumque ad optimam metam dirigat gressus, revera existit; atque in magnis praesertim SS.rum Patrum, aliisque minoris molis plurium Auctorum operibus invenitur; ita ut illis **Operum copia.**

eruditi ac docti potissimum, hisce pro lubito etiam novitii magno proventu ac delectatione uti possint.

Inopia operum quae sint exemplo.

Atqui nihilominus universalis querela est; quod nempe opera desiderentur, vulgo di testo, *Institutoribus atque discipulis aeque probanda, utpotequae non tantum doctrinam afferant, sed etiam, faciliore ordine praedita, plenam simul sobrietatem ac sobriam plenitudinem prae se ferant; contingit enim ut vel fusa nimis, Praeceptoris sibi partem ferme vindicent, mentemque gravent discipulorum, hosque a veritatibus rite ac dilucide intelligendis et memoriae mandandis non parum impediant; vel contra nimium contracta, novitiis taceant plurimas quaestiones, quas proinde passim Institutores supplere debent, non sine incommodo; unde fit probabiliter ut digitis numerentur, qui in unum eumdemque librum exponendum conveniant.*

Remedii tentamen.

Quibus sic stantibus, non inutile fortasse erit, hoc praesens opus quasi ad remedium tentandum in lucem edere. Si enim (quod vix sperare audemus) erit huiusmodi ut supra expositae necessitati respondeat, iam per se proderit prout est; sin minus, forte alios ad aliquid simile, sed feliciore exitu conficiendum incitare poterit.

Neque tamen ad hanc rem nostram necesse erat

ut praesens opus ex novis omnino et integris elementis construeretur; imo vero contrarium iter tenendum erat, tum ut veritas in toto Cursu facilius obtineretur, tum ut melius consuleretur ordini, evidentiae ac operis utilitati.

Quapropter non nova ac noviter inventa hic proponuntur lectoribus, sed nova, ut credimus, luce novaque methodo et forma, quae iam extabant, in novitiorum commodum enucleantur. **Operis adiumenta.**

Imo nobis haec generatim dixisse non satis est, nisi specialius addamus, ad hoc conficiendum opus saepius consuluisse opera clarissimorum Auctorum, nempe P. Antonii Goudin, P. Salvatoris Tongiorgi, D. Michaelis Rosset, Ab. Iosephi Prisco aliorumque, sed praecipue P. Matthaei Liberatore, quem tamquam ducem ac pene arbitrum habuimus. **Cuique suum.**

Hisce autem expositis ut quisque habeat quod suum est, et a frequentioribus allegationibus abstineamus, dicendum restat an aliqua spes affulgeat quod attinet ad bonum exitum huius laboris nostri. Et quidem si nostrae experientiae standum est, aliqua exinde utilitas fructusque felix enasci poterit; quae enim nunc veniunt in lucem, prius per annos aliquot in hoc venerando atque amplissimo Seminario Aquensi iam lecta, **Argumenta sperati exitus.**

vel a mediocribus etiam discipulis rite scita, vel a quibusque optimis comprehensa, ni fallor, fuere. Quod si, ut par est in praesenti casu, maius apud te pondus habeat auctoritas, haec tibi praesto sit in epistola, quae in sequenti pagina prostat, quamque Rev.[mus] *ac sapientissimus Salvator Magnasco, Archiepiscopus Genuensis, visa prius non exigua parte praesentis operis, peramanter Auctori dabat; in qua, si melius placet, confide ex animo, et vale.*

Aquis Statiellis, pridie cal. Ianuarias an. MDCCCLXXIV.

Sac. IOAN. BAPTISTA RASTERO.

EPISTOLA

EXCELL.[MI] AC REV.[MI] ARCHIEPISCOPI GENUENSIS

AD AUCTOREM

CARISSIMO PROFESSORE

Io mi rallegro sinceramente con voi pel vostro corso filosofico, che ho trovato in tutte le sue parti compitissimo, cioè tanto per la sua estensione quanto per la sua profondità, anche nella forma molto adatto per la scuola, e di tale chiarezza che forse non è possibile averla maggiore in materie sì astruse, e pienamente conforme, per quanto a me pare, all' immortale dottrina di S. Tommaso. Me ne rallegro, ripeto, con voi, e spero possa riuscire assai utile, e di ottima preparazione allo studio della Teologia scolastica; anzi sarebbe desiderabile che fosse studiato anche da chi attende ad altre carriere, come quello che gioverebbe assaissimo a confutare gli errori moderni.

Genova, 11 agosto 1873.

Vostro Affez.[mo]

✠ SALVATORE *Arciv.*

DE PHILOSOPHIA IN GENERE

DISPUTATIO PROOEMIALIS.

HAEC DISPUTATIO IN TRES ARTICULOS DIVIDITUR, QUORUM 1. DE NATURA ET QUALITATE PHILOSOPHIAE: 2. DE EIUS POSSIBILITATE ET EXISTENTIA: 3. DE IPSIUS DIVISIONE SERMONEM INSTITUIT.

ART. 1. *De natura et qualitate philosophiae.*

Q. 1. Quid est philosophia, quoad nomen, et quisnam fertur huius nominis Auctor?

R. Philosophia, quoad nomen, idem est ac amor seu studiosa inquisitio sapientiae.

Et hic nota quod sapientia generatim ea dicitur rerum notitia, quae menti vere sapit, seu quae ad sciendum prae omnibus grata est; nimirum illa quae res scrutatur per earum supremas causas. (v. s. TH. *Summ. Theol.* 1. p. q. 1. a. 6.) — Est autem duplex, scilicet naturalis et supernaturalis. Supernaturalis est quae res cognoscit per causas seu principia supernaturalia, ut sunt principia fidei, et versatur circa plura, quae humanum captum excedunt; sapientia huiusmodi dicitur Theologia: natu-

ralis est quae procedit ex principiis naturali lumine notis; et haec ea est de qua loquitur definitio, ac philosophia nominatur.

Huius vero nominis Auctor fertur Pythagoras, qui se non sophum seu sapientem, more veterum, sed philosophum, idest sapientiae studiosum modeste appellavit.

Q. 2. Quid est philosophia quoad rem?

R. Philosophia, quoad rem quam significat hocce nomen, definitur a Tullio « Scientia rerum divinarum et humanarum, causarumque quibus hae res continentur ». Quae tamen definitio, ut patet, non rerum causas ultimas tantum, seu supremas, sed etiam intermedias et infimas a philosopho inquirendas supponit. Philosophia tali modo accepta, non peculiaris quaedam complexio scientiarum est, sed vere omnium scientiarum collectio, immo aliquid humanis omnibus scientiis longe maius. Si ergo philosophia spectari velit ut disciplina quaedam particularis, omniumque veluti corona et apex scientiarum, definienda erit, « scientia rerum per causas ultimas seu supremas naturali lumine comparata ».

Et explicatur haec definitio. Philosophia merito dicitur rerum *scientia;* nam scientia est cognitio certa et evidens rerum per ipsarum causas; sed philosophia proprie est rerum cognitio per earum causas et quidem supremas, ut ex dicendis patebit: ergo.

Ubi nota quod nomine causae venit hic quidquid ad rem intime explicandam valet, sive causa proprie dicta sit, sive non, seu etsi tantum obiiciat rationem sufficientem a re, de qua agitur, non distinctam.

Additur autem per causas, non quascumque, sed *ultimas*, quia ut jam supra innuimus, indoles huius scientiae requirit, ut mens non in infimis vel mediis causis speculandis consistat, sed ad supremas conetur assurgere, e quibus reliquae pendent. Et sane philosophus sapientiam inquirit: non autem dicitur sapiens *simpliciter*, qui singularium quarumdam rerum pertractat fines, sed tantum in *aliquo genere*, v. gr. sapiens medicus, sapiens politicus etc.; contra simpliciter sapiens vocatur qui ad finem universalem et supremas rerum causas pertingit. (S. Th. l. c. et Contr. Gent. libr. 1, c. 1).

Tandem dicitur *naturali lumine* comparata, quia procedit ex principiis naturali lumine notis, ut supra dictum est, et ex iis naturales conclusiones deducit.

Q. 3. Quaenam est dignitas philosophiae?

R. Philosophia est dignior ceteris scientiis naturalibus; cum enim ipsa supremas rerum rationes respiciat, hinc principia suppeditat, communia saltem, aliis scientiis naturalibus, iisque omnibus proinde praestat. Sed de hoc fusius alibi.

Q. 4. Quomodo philosophia se habet ad Theologiam?

R. Philosophia ad Theologiam se habet ut ancilla; haec enim, nempe Theologia, illi praeest et imperat, utpote quae firmior est ac sublimior: firmior inquam tum respectu *fundamenti*, quo nititur, quod est auctoritas divina, tum respectu *luminis*, quo illustratur, quod est lumen fidei: sublimior autem ratione obiecti potissimum; contemplatur enim praesertim veritates revelatas quae humanas vires excedunt.

Neque tamen aliqua datur repugnantia philosophiam inter et fidem; cum enim naturale lumen ab eodem digito Dei signatum fuerit super nos, a quo signatum est lumen fidei, hinc philosophiam Theologiae contrariam esse, impossibile est.

Q. 5. At ex huiusmodi philosophiae ad Theologiam famulatu nonne erit pertimescenda aliqua libertatis aut progressus jactura?

R. Nulla omnino legitimae libertatis aut veri progressus jactura erit inde pertimescenda. Nam libertas legitima non omnem profecto respuit subiectionem, sed eam tantum, quae contra naturae ordinem sit: at ex adverso in ordine naturae est ut ratio fallibilis rationi obediat infallibili, atque speculationes, quae ex humana infirmitate infici possunt aliqua falsitate, iuventur lumine veritatum earum, quae falso subesse nequeunt: ergo.

Attamen adverte subiectionem huiusmodi non hoc importare quod philosophia careat principiis propriis, aut sphaera privetur proprii ordinis seu naturalis, in qua late spatietur; sed tantum quod supra suam sphaeram non se erigat, nec aliquid pronuntiet fidei aut directe aut indirecte repugnans. (S. Th. Summ. Th. q. c. a. 5).

Q. 6. Estne utilis philosophia?

R. Philosophia est maxime utilis; nam rationem perficit, cum sit scientia inter naturales suprema, et consequenter maxime intellectualis: insuper lucem et principia suppeditat reliquis scientiis, ut jam dictum est; quae enim scientia constat rationibus universalioribus, praeest iis, quae inferioribus ac contractioribus notionibus constant. Praeterea

est utilis, quia in operationem et mores influit, imo etiam in ea, quae ad socialem statum pertinent, vim magnam exercet; operatio enim et vita hominis sive respectu sui, sive respectu aliorum, cognitionem sequitur.

Sed etiam maxime est utilis, quia Religioni divinae, quoad potest, deservit; 1° quidem propter demonstrationem veritatum, quae fidei praeambulae vocantur, ut sunt existentia Dei, eius veritas, providentia et huiusmodi: 2° quia non paucos conceptus enucleat, qui propter sui universalitatem divinis et humanis rebus sunt communes: 3° quia naturam disponit, quantum ipsi fas est, ad supernaturales veritates (quas philosophia non demonstrat, utpote vires eius excedentes) facilius recipiendas; eo enim melius apprehendere illas licet, quo natura aptior in se sit meliusque disposita: 4° quia cum suis pronuntiatis Theologiae campum amplificat, quatenus, principiis revelatis adiuncta, innumeris relationibus aditum reserat: 5° tandem propter refutationem errorum, quos ex rationis abusu heterodoxi et increduli contra Religionem acervant.

Art. 2. *De possibilitate et existentia philosophiae.*

Q. 1. Estne possibilis philosophia iuxta definitionem supra traditam?

R. Est possibilis. Revera omnis potentia est propter actum, ut ex ipsis terminis patet: cum igitur intellectus tendat in rerum cognitionem per earum causas et quidem altiores, et in hoc philo-

sophica scientia consistat; hinc philosophia possibilis demonstratur.

Q. 2. Existitne huiusm. philosophia?

R. Existit. Nam philosophia est certa et evidens cognitio rerum per altiores causas, ut dictum est. Atqui et pleraque principia evidenter nobis nota sunt, et ex iis evidenter plura deducuntur, etiam circa illa altiora, in quibus sita est cura philosophiae. — Sic in logica illud principium evidenter certum est « quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se »: et alterum: « quorum unum est idem uni tertio, aliud vero non idem, non sunt eadem inter se »; ex quibus argumentandi regulae evidenter deducuntur. — Item in metaphysica per se notum est « non posse simul idem esse et non esse; nihilum non posse dare esse »; ex quibus circa ens in communi pleraque evidenter deducuntur. — Item in morali « unicuique tribuendum quod suum est; vivendum esse homini secundum rationem; Deum colendum; bonum amandum; parentes honorandos; praelatis parendum »; ex quibus circa mores pleraque evidenter inferuntur; ergo.

Art. 3. *De philosophiae partitione.*

Q. U. Quomodo dividitur philosophia?

R. Philosophia dividitur in logicam, metaphysicam et moralem, ad quam reducitur ius naturae. — Cuius divisionis ratio desumitur potissimum a fine. Nam finis philosophiæ est hominis perfectio; haec vero constat quatuor hisce rebus, nempe 1ª ut homo in cognoscendo rite utatur ratione, et in

hoc dirigitur a *logica*: 2ª ut ad bonum appetendum voluntatem in semetipsa ordinet, eiusque appetitiones omnes rationi obedientes efficiat, et in hoc regitur a *morali:* 3ª ut dignoscat quid natura sit cuiusque rei, quaeque causa, ex quo quidque gignatur, ab eoque sit consequens; et huic muneri suppetit *metaphysica*: 4ª tandem ut semet homo consideret tamquam partem mundi socialis, et dispiciat quid sub eo aspectu decorum sibi sit aut turpe, ac proinde lege Dei impositum vel prohibitum; cui muneri suppetit *jus naturae.*

LOGICA.

TRACTATUS DE LOGICA

DE LOGICA IN GENERE

Q. 1. Quid est logica?

R. Logica, si vocis etymon spectes, interpretatur *disciplina rationalis;* indiget enim ratio subiici cuidam regulae ut tutius et expeditius finem suum attingat. — Ad rem quod attinet, logica definitur, facultas seu scientia, qua mens in exquirenda vel demonstranda veritate dirigitur.

Q. 2. Logica estne ars tantum an etiam scientia?

R. Logica tum ars, tum scientia reapse est: ars dicitur, quatenus recte ratiocinandi normas et praecepta praescribit: scientia vero, quatenus ea praecepta demonstrat.

Q. 3. Quodnam est obiectum logicae?

R. Obiectum logicae est ens rationis; nam obiectum disciplinae cuiuspiam nuncupatur illud quod ipsa sibi ad considerandum assumit: atqui logica versatur circa *ordinem et dispositionem*, qua actus rationis insigniri debent in motu, quo ad veritatem detegendam feruntur, quique ordo dicitur *ens rationis:* ergo.

Q. 4. Quare ordo huiusmodi dicitur ens rationis?

R. Ordo huiusm. dicitur ens rationis, quia non est ens naturae, seu existens in rebus, sed est ordo, quem ratio considerando facit in suo actu, ordinans conceptus suos ad invicem, et signa conceptuum, quae sunt voces significativae. — Ens rationis, ait s. Thomas, proprie dicitur de illis secundis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis, ut sunt intentiones generis, speciei, differentiae, praedicati etc., quae quidem non inveniuntur in rebus, sed considerationem rationis consequuntur. (In IV. Metaphysicorum, lect. 4.)

Q. 5. Quotuplex est logica?

R. Logica est duplex, *innata* et *acquisita*. Innata est dispositio quaedam et facilitas recte ratiocinandi, quam quisque, plus minus, sortitur a natura: acquisita est distinctior et perfectior mediorum usus ad verum capessendum, quem studio et exercitatione consequimur.

Q. 6. Quid differt logica innata seu naturalis ab acquisita seu artificiali, et quo pacto haec acquiritur?

R. Hoc differt logica naturalis ab artificiali, quod prior confuse et incomplete veritatis investigandae leges suppeditet; posterior vero distincte eas explicet et cumulate.

Acquiritur autem logica artificialis ope reflexionis, qua mens semet remeare potest.

Q. 7. Quaenam est utilitas logicae artificialis?

R. Utilitas logicae artificialis est sane maxima: quemadmodum enim nihil est mente dignius ipsique utilius quam perfecta veritatis cognitio, ita nil utilius ac praestantius ea facultate, quae men-

tem dirigit in pleniorem tutioremque veritatis cognitionem.

Q. 8. Quisnam primus huiusmodi media ad verum capessendum idonea ad scientiae formam redegit?

R. Aristoteles; cuius opus egregium adeo perfectum absolutumque ex eius emersit manibus, ut nihil illi posthac ad nostra usque tempora addi, quoad substantiam, vel detrahi oportuerit.

Q. 9. Quotuplex est logica artificialis?

R. Logica artificialis iterum duplex est; nempe *minor et maior.* Minor, quae etiam *dialectica* nominatur, dicitur scientia ratiocinii: maior est scientia eorum quae ad rite ratiocinandum inserviunt. Patet ergo dialecticam in ratiocinii structura eiusque legibus enodandis totam esse.

LOGICA MINOR.

DE LOGICA MINORI

DISPUTATIO.

Patet ex praedictis logicae minoris obiectum esse ratiocinium. Quoniam vero ratiocinium res est complexa, et in iudicia, tamquam in materiam proximam, dein in simplices conceptus, ex quibus judicia exurgunt, tamquam in materiam remotam resolvitur, hinc mens ut de ratiocinio legitimam sibi cognitionem comparet, haec omnia distincte et singillatim perpendat, necesse est; ita tamen ut a conceptibus, tamquam a simplicissimis elementis, exordium ducat; dein ad judicia deveniat, ut tandem ratiocinium, quod conceptibus, iudiciisque constat, integre et rite cognoscat.

Illud tamen etiam est advertendum, quod quia termini *mentales* (qui non sunt aliud nisi ipsi conceptus prout judicium constituunt), per *orales* terminos exprimuntur, judicia vero per propositiones, ratiocinia autem per argumentationes, hinc ubi de termino mentali sermo fiet, agetur simul de termino orali; ubi de iudiciis, ibi etiam de propositionibus sermo erit: tandem, de ratiocinio doctrina exposita, de argumentatione quoque eiusque speciebus pertractabimus.

Sic ergo minor logica tribus capitibus absolvetur, quorum 1.um de termino mentali et orali: 2.um de iudiciis et propositionibus: 3.um de ratiocinio et argumentatione aget.

CAPUT I.

DE TERMINO MENTALI ET ORALI.

Caput praesens decem articulos complectitur, quorum 1. de conceptus natura sermonem instituit: 2. de eius expressione, seu de termino *orali:* 3. de partitionibus termini tum mentalis tum oralis propriis, necnon de utrique communibus: 4. de coordinatione conceptuum universalium: 5. de coordinatione idearum quarumlibet individuis applicabilium, sub aliquibus supremis generibus, seu de praedicamentis: 6. de modis, qui ex comparatione praedicamentorum oriuntur, seu de post praedicamentis: 7. de proprietatibus, quas termini in propositione suscipiunt: 8. de definitione, qua utimur ad conceptus clariores efficiendos: 9. de divisione, qua eos efficimus distinctiores: 10. de defectibus terminorum deque eorum remediis.

Art. 1. *De simplici apprehensione et de conceptu per simplicem apprehensionem effecto.*

Q. 1. Quid est simplex apprehensio?

R. Simplex apprehensio est prima mentis operatio, qua res mere percipitur, nulla adiecta affir-

matione aut negatione. Dicitur *apprehensio*, quia mens per eam obiectum quasi prehendit et ad se trahit. Dicitur *prima* operatio mentis, quia omnis operatio mentis est altera ex hisce tribus, nempe vel ratiocinium, vel judicium, vel apprehensio simplex: nequit autem mens ratiocinium instruere nisi judicia praecesserint: item judicium proferre nequit nisi prius apprehenderit terminos de quibus judicet: ergo simplex apprehensio prima mentis operatio dicenda est.

Q. 2. Quid est conceptus per se sumptus?

R. Conceptus, graece logos, latine verbum et etiam idea (quamvis idea rectius sumatur pro exemplari, de quo suo loco), nihil aliud est nisi imago obiecti a mente cognoscentis expressa; seu est signum formale rei mente perceptae. Dicitur *signum*, quia rem menti repraesentat; (signum autem, juxta S. Thomam, est quodcumque notum, in quo aliud cognoscitur) Aq. Disp. Quaestio De cognitionem scientiae angelicae, art. h, ad 4: additur *formale*, quia est ipsa rei similitudo, secundum quod formaliter attingitur: dicitur tandem rei *mente* perceptae, ut distinguatur conceptus a perceptionibus sensuum, quae etsi dici possunt obiectorum similitudines, non tamen dicuntur ideae, quae ad mentem pertinent.

Q. 3. Conceptus estne signum *naturale*, an *conventionale; ex quo* an *in quo* res percipitur?

R. Conceptus est 1. signum, non conventionale, sed naturale obiecti; vi enim naturae cum ipso connectitur, et, totus quantus est, eius expressione et repraesentatione informatur.

2. Est signum, non *ex quo*, sed *in quo* res percipitur; cum enim intelligimus, non conceptum ipsum primo intelligimus (qui intelligi nequit nisi prius sit; nec est, nisi producatur a mente; nec ipsum mens producit nisi aliquid intelligendo), sed vi conceptus intelligimus rem, cuius conceptus est mentalis expressio; quamvis secundario et reflexe ipse conceptus intelligi possit, quatenus mens in seipsam redit et proprium actum permeat; sed hoc subaudit cognitionem directam; et insuper tunc conceptus in ea secundaria operatione obiecti naturam induit. — Confirmatur experientia, qua quisque, dum intelligit, in se sentit, se primum, non de conceptu, sed de re cogitare.

Nota. Conceptus hoc modo sumptus in omni actu mentis reperitur, et proinde non solum in simplici apprehensione sed etiam in iudicio et in ratiocinio.

Q. 4. Quomodo nominari et definiri potest conceptus prout ad simplicem apprehensionem refertur, et ad logicam pertinet?

R. Nominatur *terminus*, scilicet *mentalis*, a terminando, quia in ratione subiecti et praedicati terminat propositionem, et est ultimum elementum, in quod resolvitur ratiocinium. — Definiri potest id, in quod resolvitur proxime judicium tamquam in subiectum et praedicatum.

Art. 2. *De signis idearum, vocabulis et termino orali.*

Q. 1. Quid sunt signa idearum?

R. Signa idearum sunt media quaevis sive natura, sive voluntate instituta ad ideas nostras aliis,

quibuscum vivimus, manifestandas. Huiusmodi sunt nutus, suspiria, gestus, et alia eiusd. generis, et praeterea voces articulatae seu vocabula, quibus conceptus nostros patefacimus.

Inter haec signa, quantum ad vim commovendi, praestant plura signa naturalia, quae rem veluti ob oculos ponunt: at ex parte facilitatis, perspicuitatis, distinctionis et varietatis, vocabula principem occupant locum.

Q. 2. Quid est vocabulum stricte sumptum?

R. Vocabulum est vox articulate prolata ad ideam aliquam significandam.

Q. 3. Vocabula et cetera signa suntne primo et immediate instituta ad significandas ideas an obiecta?

R. Vocabula et cetera signa externa sunt instituta *primo et immediate* ad significandas ideas, *mediate* vero obiecta, quae ab ideis immediate significantur. Vox, ait S. Thomas, significat immediate conceptum intellectus, quo mediante significat rem. (Aq. Disp. Quaestio De Personis divinis, art. 5).

Q. 4. Vocabula suntne signa idearum naturalia, an conventionalia?

R. Vocabula sunt signa idearum, non naturalia sed conventionalia: nullum enim vocabulum cum determinato conceptu *natura sua* copulatur; secus tanta non esset linguarum diversitas apud homines; nam quod a natura est, idem apud omnes invenitur. Sed de hac re fusius alibi.

Q. 5. Quandonam vocabulum oralis termini nomen sumit?

R. Vocabulum termini oralis nomen sumit cum consideratur in ordine ad propositionem, et prout ad logicam pertinet; quo sub respectu definiri potest id, in quod resolvitur propositio; quemadmodum terminus mentalis dicitur id, in quod resolvitur judicium.

Art. 3. *De terminorum partitione.*

Terminorum partitiones aliae termini mentalis tantum sunt propriae, aliae termini oralis dumtaxat; aliae utrique termino sunt communes.

De singulis per ordinem agendum est.

§. 1. *De partitionibus, quae termini mentalis tantum sunt propriae.*

Partitiones, quae termini mentalis tantum sunt propriae, procedunt aut ex diverso modo, quo obiectum cognitioni obversatur, aut ex diverso modo, quo idem obiectum perfectius vel imperfectius attingitur.

Q. 1. Quomodo dividitur terminus mentalis ratione modi, quo obiectum cognitioni obversatur?

R. Ratione modi, quo obiectum cognitioni obversatur, terminus mentalis dividi potest in intuitivum et abstractivum. Conceptus intuitivus est, quo obiectum percipitur ut actu praesens: quo scilicet perceptio in ipsam obiecti praesentiam, nempe physicam et realem existentiam, qua fruitur actu obiectum, terminatur: sic apprehendo v. gr. papyrum, quae mihi nunc versatur ob oculos. Illa videri dicuntur, ait S. Thomas, quae *per se ipsa*

movent intellectum vel sensum ad sui cognitionem. Res, quae sic nobis obiiciuntur, praebent notitiam sui *experimentalem et visionis.* (Summ. Th. II, 2, q 1. a. h).

Conceptus abstractivus est, quo obiectum percipitur, praecisa eius *actuali praesentia;* seu est qui praescindit a rei *actuali existentia*, et rem repraesentat ut natura est quaedam, *undecumque ea notitia provenerit.* Sic concipimus quidditatem rei, aut obiecta *absentia* vel *futura*, aut quae deductione ab aliqua causa aut universali principio derivantur. — Imo hoc modo ipsa existentia vel actualis praesentia apprehendi potest, cum nempe intelligimus, rem aliquam existere et esse nobis praesentem, non quia *praesentiam illam ut actu exercitam, in se ipsa immediate contuemur* (sic enim haberetur visio seu intuitio), sed quia sic se habere obiectum ratiocinatione evincimus. Hoc modo existentiam divinam in hac vita concipimus.

Q. 2. Quomodo dividitur terminus mentalis ratione maioris vel minoris perfectionis, qua ex parte potentiae obiectum apprehenditur?

R. Terminus mentalis sub hac ratione dividitur in clarum et obscurum; clarus in distinctum et confusum; distinctus in completum et in incompletum; completus tandem in adaequatum et in inadaequatum.

Clarus est qui obiectum ita repraesentat ut ab aliis secernatur: obscurus, quo non satis ab aliis discernitur.

Distinctus est qui obiectum ita offert, ut in eo constituentia et notae praecipuae distingui et nu-

merari possint: confusus, qui hisce notis ferme privatur.

Completus est qui obiecti constituentia, omnesque notas porrigit: incompletus, qui ea elementa magna ex parte enumerat, sed non totaliter.

Adaequatus est qui notarum notas et constitutiva obiecti ita resolvit ut ad simplices deveniat: inadaequatus qui resolutionem illam nonnisi incomplete assequitur.

Huc revocari potest conceptus comprehensivus, qui obiectum attingit quantum eius intelligibilitas late patet; sc. non modo absolute sed etiam relative sive ad ordinem totius universi, sive ad causas, unde res procedit, sive ad effectus omnes possibiles, quibus gignendis ipsa est habilis. Sed sic cognoscere obiecta solius Dei est.

§. 2. *De nonnullis partitionibus, quae termini oralis tantum sunt propriae.*

Hae partitiones procedunt ex diverso modo, quo vocabulum se habet respectu conceptus exprimendi.

Q. 1. Quomodo dividitur terminus *oralis?*

R. Terminus oralis dividitur 1. in significantem et inanem. Significans ille est qui aliquid revera significat; ut mons, templum. Inanis contra est qui nihil significat, sed vel est sonus sine mente, ut blitri; vel offert aliquid repugnans, ut mons sine valle.

2. Dividitur in fixum et vagum. Fixus est qui rem aliquam constanter significat, ut templum: vagus contra, qui modo hanc, modo aliam denotat

pro loquentis arbitrio, ut natura; haec enim vox nunc ad spectabilem mundi machinam, nunc ad eius Auctorem, nunc ad essentiam rei denotandam accipitur.

3. Dividitur in univocum et aequivocum. Univocus est qui pluribus tribuitur juxta eamdem significationem; aequivocus, qui in significatione diversa pluribus tribuitur. Exemplum prioris generis est animal, cum viventibus sensu praeditis denotandis applicatur: exemplum posterioris est gallus cum tum ad homines certae nationis, tum ad speciem quamdam volatilium innuendam adhibetur.

Q. 2. Quo pacto subdividitur terminus aequivocus?

R. Terminus aequivocus subdividitur in *aequivocum a casu*, et *aequivocum a consilio.* Prior, qui etiam dicitur pure aequivocus, habetur cum res per ipsum significatae nullam omnino convenientiam retinent inter se, aut proportionem, ratione cuius eodem nomine donentur: posterior, sc. aequivocus a consilio, vel melius *analogus*, habetur cum res per ipsum significatae servant inter se aliquam relationem aut analogiam aut ordinem ad eumdem effectum.

Nota. Cum aequivocatio est pura, tunc partitio termini in univocum et aequivocum oralis tantum est propria; cum vero est a consilio, tunc utrique termino competit.

§. 3. *De terminis analogis speciatim.*

Haec denominatio utrique termino competit, ut dictum est.

Q. 1. Quid est terminus analogus?

R. Terminus analogus, idest medius inter univocum et pure aequivocum, est qui plura respicit in significatione nec omnino eadem, nec omnino diversa.

Q. 2. Quotuplex est terminus analogus?

R. Terminus analogus duplex est, sc. analogus attributionis et analogus proportionis.

Q. 3. Quinam dicitur analogus attributionis?

R. Terminus analogus attributionis habetur 1. cum terminus significat aliquid principale, ex quo derivatur quaedam attributio et denominatio in alia, quae ad illud principale aliquem ordinem involvunt. Sic sanitas dicitur de animali, cibo et colore. Et tamen sanitas proprie et vere ea est, quae reperitur in animante; ad cibum autem et colorem extenditur, quatenus cibus eam juvat, color illam significat.

Habetur 2. analogus attributionis, cum forma seu perfectio denominans est intrinsece in utroque membro, quamvis in uno absolute, in alio per habitudinem ad aliud; ut ens dicitur de substantia et accidente: accidens enim non denominatur ens extrinsece ab entitate substantiae, sed a propria et intrinseca entitate, quae talis est ut tota consistat in quadam habitudine ad substantiam. Et hinc patet quantum hic modus differat a priore, in quo forma denominans in uno extremo tantum est *intrinsece*; in aliis vero solum per *extrinsecam* habitudinem.

Sed clarius, inter hos modos datur quadruplex differentia. Prima est quod in *priori* attributione

nomen *secundario* significato attribuitur solum *improprie* et *per metaphoram vel aliam figuram;* in posteriori contra est *propriissima* denominatio, imo potest esse essentialis, quia sumitur ab intrinseca forma vel a propria natura.

Secunda est quod in priori attributione *secundarium* analogatum, ut tale est, seu ut tali nomine significatur, definitur per *primum* analogatum, ita ut oportet hoc poni in definitione illius. Sic si declarare velis quid sit, medicinam esse sanam, dices esse effectricem vel conservatricem sanitatis animalis: nam si solum extrinsece denominatur ab illa forma, non potest nisi per illam definiri. At vero in posteriori attributione non est necesse ut posterius analogatum per principale definiatur; cuius ratio est, quia forma, a qua sumitur illa denominatio, non est extrinseca, sed intrinseca.

Tertia est quod in priori attributione non datur unus conceptus communis omnibus analogatis; quia forma, unde sumitur, in uno tantum est *intrinsece et proprie*, in aliis per tropum et extrinsecam denominationem. At vero in posteriori attributione datur unus conceptus communis, formalis et obiectivus; quia analogata proprie et intrinsece talia sunt, et vere in tali ratione conveniunt, quam potest mens abstracte seu praecise concipere uno conceptu omnibus communi.

Quarta addi potest, quod scilicet nomen analogum *priori attributione* non potest esse medium demonstrationis, quia medium demonstrationis non est tale *ratione nominis*, sed ratione conceptus; potest vero in posteriori attributione ratione contraria.

Q. 4. Quid est analogia *proportionis?*

R. Analogia proportionis habetur in iis, quae eodem nomine significantur, quia sunt secundum *aliquam proportionem* similia. Ubi nota quod quum terminum secundum analogiam proportionis usurpamus, *tacitam* quamdam *comparationem* instituimus, in qua *quatuor* ad minus *termini* considerantur; nam differentia quae viget inter voces analogas secundum *attributionem* et voces analogas secundum *proportionem* haec est, quod illae unam *eamdemque rationem respiciunt,* quamquam diversimode; non enim est alia sanitas qua denominatur animal, et cibus ac medicina: istae significant *rationes plures et diversas,* quamquam proportione similes; aliud enim significat tigris, quum de fera dicitur, aliud cum dicitur de homine. Quare analoga proportionis non sunt talia quatenus similia sunt; sic enim sunt univoca, non analoga; sed quatenus similes habent habitudines ad aliqua; quia v. gr. quemadmodum se habet risus in vultu hominis, ita viror herbarum, et florum amenitas in prato. Consequenter nomen analogum proportionis non est illud quod exprimit rationem *communem* utrique analogo; sic enim utrumque significat, non analogice, sed univoce; nam *crudelis*, v. gr., in quo conveniunt tigris et tyrannus, utrique *univoce* applicatur; sed est nomen significans *essentiam aut notam aliquam,* quae propriae est unius *et non* alterius, *quae* tamen *secundum aliquam proportionem est similis* essentiae aut notae alterius propriae. Sic hominem, qui ratione non utitur, brutum dicimus, et tyrannum appellamus tigridem; quia

quemadmodum brutum se habet ad rationem, *qua caret,* ita homo ad rationem, *qua non utitur:* et *quemadmodum* tigris omnimode *caret* humanitate, ita tyrannus omnimode illam abiecit. Huc pertinent omnes metaphorae.

Hinc inferes, periculosum esse in mera analogia argumentationem fundare: facile enim ex iis, in quibus duae res conveniunt, ad ea, in quibus non conveniunt, fit gradus.

§. 4. *De aliis partitionibus, quae termino tum mentali tum orali sunt communes.*

Q. 1. Quasnam alias partitiones patitur terminus tum mentalis tum oralis?

R. Terminus tum mentalis tum oralis, dividi etiam potest in significantem per se et significantem cum alio. Prior, qui categorematicus dicebatur a veteribus, est qui seorsum sumptus aliquid ita significat, ut solus possit esse subiectum vel praedicatum propositionis, ut homo, albus etc. — Posterior, qui vocabatur syncategorematicus, est qui omnino indiget socio, et per se solummodo subiectum aut praedicatum propositionis esse nequit; sic se habet adverbium *velociter*, particula copulativa *etiam*, relativum *qui*, et alii huiusmodi. — Datur etiam terminus mixtus, qui utrumque continet, ut *nemo*, hoc est *nullus homo.*

2. Dividitur in concretum et abstractum. Abstractus est, qui formam aliquam vel eius carentiam, ut per se stantem et remoto subiecto, exprimit; ut albedo, caecitas. Concretus est, qui subie-

ctum ipsum, prout ea forma, vel eius absentia afficitur, significat; ut albus, caecus.

Quoniam vero nomine formae generatim hic intelligitur determinatio quaevis, qua subiectum affici concipitur, sive ab eo distincta sit realiter, sive secus, hinc triplex concretum distinguere est, nempe metaphysicum, physicum et logicum. Metaphysicum habetur cum determinatio, de qua sermo fit, est aliquid intrinsecum et identicum cum ipsa realitate subiecti, ut *homo* respectu humanitatis: physicum habetur cum determinatio est aliquid a subiecto diversum, ut *albus* respectu hominis et parietis, quippe forma huiusm. *per se* distinguitur a subiecto: habetur tandem logicum cum determinatio a sola mentis cogitatione resultat; ut *cognitum*: haec enim determinatio sumitur ab actu mentis, quae obiectum attingit.

3. Dividitur in *singularem* et *universalem*. Prior significat aliquod obiectum singulare et individuum, v. gr. Petrum: posterior significat obiectum universale, seu quod in pluribus singularibus inveniri potest; ut homo in genere consideratus.

Porro individuum apprehenditur vi notarum quarumdam sensibilium, quae notae individuantes vocantur, et sunt:

Forma — figura — locus — tempus — stirps patria — nomen.

Universale hasce notas negligit.

4. Dividitur in *collectivum* et *distributivum*. Collectivus est, qui plura simul accepta repraesentat, ut exercitus: distributivus, qui plura repraesentat sed disiuncta, ita ut singulis seorsum acceptis tribui possit; ut miles.

Adverte tamen quod terminus collectivus sub diverso respectu potest considerari ut distributivus, quatenus nempe omnibus collectionibus eiusdem rationis aptari potest. Sic populus cum dici valeat de qualibet multitudine hominum jure communi sociata , hoc sensu est distributivus, licet quatenus refertur ad homines cuiusque multitudinis sit collectivus.

5. Dividitur in *realem* et *logicum*. Realis repraesentat obiectum extra cognitionem existens vel existendi capax: logicus obiectum, cui sola mentis consideratio, licet aliquo fundamento nixa, existentiam largitur: sic terminus *homo* realis est, *genus* vel *species* terminus logicus.

Termini huiusmodi appellari solent etiam *primae intentionis,* vel *secundae intentionis,* quatenus vel exprimunt obiectum sub respectu, quo mens *primo* fertur in ipsum, nempe per actum *directum* et quoad praedicata *realia;* vel contra illud exprimunt sub respectu quo mens in ipsum fertur *secundo,* nempe per actum *reflexum* et quoad praedicata *logica.*

6. Dividitur in *absolutum* et *connotativum.* Absolutus significat ad instar per se stantis, sive res, de qua agitur, vere substantia sit, ut homo; sive sit accidens acceptum sine subiecto, ut sapientia: connotativus contra significat ad instar adiacentis, sive res vere adiaceat alteri, ut cum exprimitur accidens, sive nulli inhaereat sed sit substantia. Sic erit connotativus non solum sapiens, albus et similes , sed etiam vivens, corporeus et alii huiusm., etsi hae denominationes, non ab ac-

cidentibus, sed a quidditate substantiali desumantur.

Cave tamen ne connotativum cum adiectivo grammaticorum confundas: nam quamvis omne nomen adiectivum sit terminus connotativus, tamen dantur termini connotativi qui non sunt nomina adiectiva, sed substantiva, ut artifex, pictor etc.

7. Dividitur in *complexum et incomplexum.* Complexus est, cuius partes fungi possunt seorsum munere termini, ut homo doctus; nam tam homo quam doctus potest esse subiectum vel praedicatum propositionis. Incomplexus est, qui pluribus non coalescit, licet quoad etymon fortasse derivetur a pluribus vocibus. Sic erit incomplexus philosophia, respublica et similes.

8. Dividuntur termini in connexos et disparatos. Connexi sunt, quorum unus infert vel excludit alterum, ut homo respectu animalis, lucidus respectu opaci. Disparati sunt qui nec repugnantia nec deductione ligantur ad invicem, ut sapiens, niger, et alii.

9. Dividuntur termini in positivos et negativos. Positivi repraesentant quid res sit: negativi quid non sit. — Ubi tamen nota quod in negatione semper positio aliqua comprehenditur.

Art. 4. *De coordinatione terminorum universalium prout pertinent ad cognitionem reflexam seu secundam intentionem.*

Terminorum universalium coordinatio maximam praesefert utilitatem; nam eorum usus magnus est

in scientiis, quae non singularia, ut historia facit, sed universalia obiecta respiciunt: et hinc eorum coordinatio, praeterquamquod mentem instituit ad reflectendum et comparandum, mirifice insuper juvat tum ad conceptus coordinandos, tum ad recte definiendum, dividendum et enuntiandum, ut ex dicendis patebit. Unde habes cur huiusm. termini penitiorem postulent a Logico considerationem.

Q. 1. Quomodo concipitur obiectum universale, et quotuplicis generis est terminus universalis?

R. Obiectum universale concipitur abstractione mentis, qua notis individuantibus neglectis, res aliqua vel eius quidditas per se consideratur. Sic concipimus hominem prout homo est, non consideratis peculiaribus characteribus, quibus personae singulae discriminantur. — Universale — unum versus alia.

Terminus autem prout huiusm. obiectum universale designat, duplicis est generis, scilicet transcendens et non transcendens. Transcendens offert notionem universalem, quae omnibus omnino rebus competere potest. Talis est ratio entis; quidquid enim positive cogitatur, est ens; et quatenus ens est, apprehendi potest. Sic etiam verum, unum, bonum, res, aliquid, sunt termini transcendentes. — Non transcendens est, qui notionem praebet non omnibus omnino communem, sed unius tantum classis entium particularium, ut est vivens, coloratus, quantus etc.

De non transcendenti agitur in praesenti articulo.

Q. 2. Quot ergo modis termini non transcen-

dentes referri possunt ad particularia, quae continent?

R. Termini non transcendentes quinque modis referri possunt ad particularia, quae continent, nimirum ut *genus, differentia, species, proprium seu attributum* et *accidens.*

Haec quinque dicuntur praedicabilia; nam universale logicum non est natura actu praedicata de pluribus, sed praedicabilis.

Q. 3. Quid est genus, differentia, species, proprium seu attributum et accidens?

R. Genus est notio communis, quae pluribus competit, tamquam pars determinabilis eorum essentiae.

Differentia est notio communis, quae pluribus competit, tamquam pars determinans eorum essentiae.

Species est notio communis, quae pluribus competit, tamquam integrum constitutivum eorum essentiae.

Attributum seu proprium est notio communis, quae pluribus competit, tamquam aliquid necessario resultans ex eorum essentia. Talis est facultas loquendi respectu hominis.

Accidens est notio communis, quae pluribus competit, tamquam aliquid contingenter superveniens eorum essentiae.

Ubi nota quod accidens logicum et accidens metaphysicum non sunt unum et idem: nam accidens in sensu metaphysico dicitur *quidquid distinguitur a substantia rei;* unde tale esse potest *proprium* seu *attributum*, quotiescumque sit realitas pullu-

lans ab essentia, *sed non idem cum ipsa:* contra pro accidenti in sensu logico non attenditur haec distinctio, sed sola ratio connexionis, sub qua notio illa universalis refertur ad sua inferiora; quare *logice* non dicitur accidens, nisi id quod non sequitur necessario ex essentia.

Q. 4. Quotuplex est genus?

R. Genus est triplex, supremum, intermedium et proximum seu infimum. — Genus supremum est illud, quod supra se non habet altius genus, sed tantum notiones analogas: talis est ratio substantiae, quae supra se non habet nisi notionem entis, et ea quae cum ente convertuntur. — Genus infimum est illud, quod infra se non habet aliud genus, sed tantum species, ut animal respectu hominis (nam respectu brutorum in alia genera dividitur). — Genus intermedium illud est, quod tam *supra* quam *infra* se aliud genus habet, ut notio corporei, viventis etc.

Q. 5. Quotuplex est species?

R. Species est item triplex, suprema, intermedia et infima. Suprema est, quae supremo generi immediate succedit; talis est notio substantiae materialis et substantiae immaterialis. — Species infima est, quae *infra se* nullam aliam speciem habet, sed tantum individua, ut notio hominis. — Species intermediae sunt, quae alicui speciei subiiciuntur, et in alias dividi possunt, ut animal.

Q. 6. Quotuplex est differentia?

R. Differentia est etiam triplex, suprema, intermedia et infima. Suprema est, quae supremo generi copulata supremam speciem exhibet; ut sunt

notiones *materialis* et *immaterialis.* — Infima, quae etiam ultima aut specifica vocatur, ea est, quae infimam speciem constituit: ut notio *rationalis*, quae adiecta notioni *animalis* constituit hominem. — Differentiae intermediae sunt, quae ad intermedias species constituendas ordinantur.

Patet ex praedictis quod genus supremum nunquam potest esse species: species infima nunquam potest esse genus; genera vero intermedia sub diverso respectu possunt et ut species et ut genera considerari.

Art. 5. *De supremis rerum generibus, ad quae reduci possunt ideae quaelibet individuis applicabiles seu de categoriis vel praedicamentis.*

In praecedenti articulo quinque expositi sunt modi, quibus termini universales non trascendentes referri possunt ad particularia, quae continent (unum versus alia); in praesenti contra dicendum est, quo pacto ideae quaelibet individuis applicabiles ad genus aliquod supremum *(praedicamentum)* reducantur *(plura versus unum)*. Quod quidem opus, non secus ac praecedens, philosophicum maxime est; nam idearum omnium ad summa capita reductio, et coordinandis conceptibus, iisque definiendis, dividendis et enunciandis mirifice juvat.

Q. 1. Quid est praedicamentum?

R. Praedicamentum latine, graece categoria, est series specierum sub uno supremo genere coordinatarum. Quodlibet praedicamentum est genus supremum seriem specierum determinatam sub se comprehendens.

Q. 2. Quotnam categoriae seu praedicamenta numerantur?

R. Alii plura, alii pauciora assignarunt. Decem categorias numeravit Aristoteles, et sunt 1. substantia; 2. quantitas; 3. relatio; 4. qualitas; 5. actio; 6. passio; 7. quando; 8. ubi; 9. situs; 10. habitus. — Hisce versiculis repraesentari solent:

Arbor, sex, servos, calore, refrigerat, ustos,
Cras, ruri, stabo, nec tunicatus ero.

Exemplum sit de Aristotele — substantia —, de quo quaeri potest 1. quantus homo fuerit — *quantitas*: 2. cuius filius — *relatio:* 3. qualis homo — *qualitas:* 4. quid egerit — *actio:* 5. quid passus fuerit — *passio:* 6. quo tempore fuerit — *quando:* 7. quo loco vixerit — *ubi:* 8. quo situ se habuerit — *situs:* 9. quibus vestibus se texerit — *habitus.*

Q. 3. Quid est substantia et quotuplex?

R. Substantia est ens per se stans, idest quod ad existendum non eget subiecto cui inhaereat, ut homo, lapis.

Dividitur ab Aristotele in primam et secundam: prima idem est ac substantia individua et singularis, v. gr. Petrus: secunda est substantia in genere, ut homo.

Q. 4. Quid est quantitas et quotuplex?

R. Quantitas est accidens extensivum substantiae. — Est quadruplex; alia permanens, ut quantitas terrae; alia successiva, ut quantitas temporis: alia continua, quatenus partes, in quas substantia materialis extenditur, sunt coniunctae inter se, et una communi terminatione comprehensae: alia di-

screta, inq. eius partes disiunctae sunt, et singulae propriis limitibus definitae, ut numeri.

Q. 5. Quid est relatio et quotuplex?

R. Relatio est respectus unius ad aliud, ut paternitas vel dominium. — Duplex est: realis et logica. Prima ex entitate rei independenter a mente consurgit, ut relatio Patris ad filium: secunda oritur ex sola mentis consideratione, ut relatio speciei ad genus.

Q. 6. Quid est qualitas?

R. Qualitas est dispositio quaedam, qua substantia, eadem manens in ratione substantiae, ulterius perficitur, aut deterior evadit. Tales sunt potentiae operativae, habitus boni et mali, alterationes, quibus substantia afficitur etc.

Q. 7. Quid est actio?

R. Actio est mutatio, quae fit in substantia ex eo quod efficientiam suam ipsa exercet in actuali effectus productione, ut calefacere.

Q. 8. Quid est passio?

R. Passio est mutatio, quae in subiecto inducitur ex actione causae efficientis, ut calefieri.

Q. 9. Quid est *Ubi?*

R. Ubi est determinatio in rem proveniens ex loco; ut esse hic vel alibi, supra vel infra, cominus vel eminus.

Q. 10. Quid est *Quando*?

R. Quando est determinatio desumpta a tempore; ut cum res dicitur praeteriisse, aut futura esse, vel tandiu durasse vel esse duratura.

Q. 11. Quid est situs?

R. Situs est ordinatio partium in loco; ut sedere, stare, supinum esse.

Q. 12. Quid est habitus?

R. Habitus est denominatio desumpta ex indumentis, armis, ornamentis quibuscumque; ut cum quis dicitur esse togatus, armatus, coronatus.

Nota. Ex praedictis decem categoriis 1.ª pertinet ad rei essentiam; tres sequentes non pertinent ad essentiam, sed rei intrinsecus inhaerent; ceterae sumuntur per denominationem a re extrinseca.

Dispositio categoriae substantiae.

Substantia	Incorporea	
	Corporea.	Corpus.
Corpus	Inorganicum	
	Organicum.	Vivens.
Vivens	Insensitivum	
	Sensitivum.	Animal.
Animal	Irrationale	
	Rationale	Homo.
Homo	Individum A	
	Individuum B	
	etc.	

Art. 6. *De postpraedicamentis.*

In rebus sub praedicamento positis, et *invicem comparatis*, quinque modi considerantur, qui postpraedicamenta dicuntur. De iis modo agendum est.

Q. 1. Quid sunt postpraedicamenta et quot numerantur?

R. Postpraedicamenta sunt modi, qui ad res praedicamentales invicem comparatas consequuntur.

— Quinque recensentur ab Aristotele, et sunt oppositio, prioritas et posterioritas, simultas, motus et habere.

Q. 2. Quid est oppositio et quotuplex?

R. Oppositio est repugnantia rei cum alia, et quadruplex est, nempe *contraria, relativa, privativa, contradictoria.* — Oppositio contraria est repugnantia duarum rerum, quae cum sint sub eodem genere, ab eodem subiecto se mutuo pellunt, ut calor et frigus: relativa est repugnantia ex mutuo respectu proveniens, ut quae viget Patrem inter et filium: oppositio privativa est repugnantia inter formam et privationem, ut inter visum et caecitatem: contradictoria est repugnantia inter ens et non ens.

Q. 3. Quid est prioritas, et quotuplex?

R. Prioritas est, qua aliquid aliud praecedit. — Quintuplex est: 1.ª *durationis,* ut inter iuventutem et senectutem; 2.ª *consequentis,* quae habetur inter ea quorum unum infertur ex alio, sed non infert ipsum: quod enim infertur ex alio, et ad illud praesupponitur, dicitur prius ipso secundum essendi consequentiam: sic animal prius est homine: 3.ª est prioritas *ordinis;* cum unum aliud praecedere exigit, ut recta sit dispositio: sic logica prior est ceteris scientiis: 4.ª *dignitatis,* cum unum est dignius alio; ut rex dignitate prior est subdito: 5.ª *naturae,* cum unum naturaliter pendet ab alio; ut radius a sole; quare sol natura est prior radio.

Nota. Simultas opponitur prioritati et posterioritati, et ideo tot modis est, quot prioritas et posterioritas.

Q. 4. Quid est motus et quotuplex?

R. Motus est transitus ab uno statu ad alium. — Sex motuum genera numerantur. Genus 1.um motuum est generatio, quae est transitus a non esse ad esse substantiale: 2.um est corruptio, quae est transitus ab esse ad non esse: 3.um est augmentatio, quae est transitus a minori ad maiorem quantitatem: 4.um est diminutio, quae est transitus a maiori ad quantitatem minorem: 5.um est alteratio, quae est transitus ab una ad aliam qualitatem: 6.um est latio, quae est transitus ab uno ad alium locum.

Q. 5. Quot sunt modi habendi?

R. Modi habendi sunt quinque: 1.us per inhaesionem; sic homo habet scientiam: 2.us per modum continentis; sic dolium habet vinum: 3.us per possessionem; sic dominus habet agrum: 4.us per relationem; sic pater habet filium: 5.us per juxta-positionem; sic homo habet vestem.

Art. 7. *De nonnullis proprietatibus, quas termini, praesertim orales, in propositione suscipiunt; sc. de suppositione, appellatione, statu, ampliatione, restrictione, diminutione, alienatione et remotione.*

Q. 1. Quid est suppositio et quotuplex?

R. Suppositio est usus termini pro aliquo suo peculiari significatu: cum enim terminus multis subiiciatur significationibus, ut supra dictum est, oportet ut in propositione ad unam prae aliis determinetur; nam propositio determinatum mentis judicium exprimit: id vero aliter praestare nequit,

nisi in determinato sensu adhibeat terminos, quibus conflatur.

Est autem imprimis alia *materialis,* alia *formalis.* Materialis habetur cum terminus sumitur pro sono oris tantum, ut si dicas: animal est vox. Formalis vero est, cum terminus sumitur pro re a sono distincta, ut si dicas: animal est substantia. — Porro suppositio *materialis* alia est *naturalis,* alia *artificiosa:* materialis *naturalis* habetur, cum terminus sumptus pro sono oris tantum, accipitur secundum id quod sonus ille habet a natura, ut in allato exemplo, animal est vox: materialis *artificiosa* habetur, cum idem ille terminus accipitur secundum id, quod habet ab arte, ut si dicas: animal est nomen tertiae declinationis. — Item suppositio *formalis* alia est propria, alia metaphorica. Formalis *propria* habetur cum terminus sumitur in propria significatione, ut: Socrates fuit philosophus: formalis *impropria vel metaphorica* habetur, cum terminus accipitur in significatione metaphorica, ut si dicas: Socrates fuit parens philosophiae.

Secundo dividitur suppositio in *realem* et *logicam:* suppositio realis est usus termini pro sua significatione reali, seu prout designat obiectum quoad sua praedicata realia, ut si dicas: homo est liber: logica est usus termini pro sua significatione logica, seu prout designat obiectum quoad sua praedicata logica, ut si dicas: homo est species.

Tertio dividitur suppositio in *particularem* et *communem:* particularis est usus termini pro aliquo vel aliquibus *singularibus,* quae complectitur, ut:

nonnulli homines sunt sapientes: communis est usus termini pro omnibus individuis, quae continet, ut: omnes homines sunt ratione praediti. — Hic autem nota quod si nullum est signum determinans utrum sumi terminus debeat in suppositione particulari an communi, tunc est suppositio indeterminata: determinatur autem ex materia; nam in materia *necessaria*, est communis; in materia *contingenti*, est particularis. Sic si dicas: homo est rationalis, suppositio est communis; si dicas: homo est albus, particularis est.

Quarto dividitur suppositio in *collectivam* et *distributivam*: collectiva habetur cum terminus communis, qui adhibetur, revocat omnia inferiora coniunctim, ut si dicas: omnes Apostoli sunt duodecim: distributiva est cum terminus ille revocat omnia inferiora separatim, ut si dicas: omnes Apostoli sunt honorandi; nam omnibus et singulis competit honor. — Quae quidem postrema, nempe distributiva, subdividitur in *completam* et *incompletam:* completa est quae revocat omnia prorsus inferiora usque ad individua, ut si dicas: omnia animalia sunt naturae compositae: incompleta est, quae revocat tantum species, ut si dicas: omnia animalia fuerunt in Arca Noë; quod verum est de speciebus tantum.

Q. 2. Quid est appellatio: quinam terminus dicitur appellans et quinam appellatus, et quid in usu appellationis observandum est?

R. Appellatio est applicatio significationis unius termini ad rem significatam per alium, ut si dicas: Tullius fuit orator: significatio oratoris, ut

patet, in Tullium cadit, eique vi propositionis adhaeret. — In hac alia propositione: Pompeius fuit strenuus imperator, significatio *strenui* applicatur imperatori, et quatenus hunc terminum afficit, applicatur Pompeio.

Dicitur autem terminus *appellans* ille, cuius significatio applicatur; terminus vero cui applicatur, dicitur *appellatus*. Unde in omni propositione praedicatum semper est appellans, subiectum semper appellatum; uterque autem terminus potest appellari a tertio, qui adiiciatur.

Tandem quoad usum appellationis, 1. si agitur de solo praedicato et subiecto, observandum est utrum praedicatum appellet subiectum secundum id quod subiectum significat in recto, an secundum id, quod subiectum significat in obliquo; nam prout alterutrum contingit, potest propositio esse vera vel falsa. Sic harum propositionum: *Christus est aeternus, Christus est passus,* ut prima sit vera, debet subiectum appellari a praedicato secundum id quod significat in recto, idest pro persona: ut sit vera secunda, subiectum appellari debet a praedicato secundum id quod significat in obliquo, nempe pro natura humana.

At 2. si agitur de propositione, in qua praedicatum inter et subiectum inseratur alius terminus, videndum est cui reapse is applicetur; nam saepe exinde veritas pendet propositionis: sic cum dicitur « Alexander magnus fuit cultor philosophiae » propositio erit vera, si terminus *magnus* appellet subiectum; contra erit falsa si appellet praedicatum; nam Alexander etsi philosophiam co-

luerit, in ea tamen non excelluit, sed in re militari.

Q. 3. Quid est status?

R. Status est acceptio termini pro *tempore* importato per copulam; ut si dicas: mutus tacet (est tacens). Quae propositio, ut sit vera, accipi mutus debet pro tempore praesenti, et sic intelligendum est eidem attribui praedicatum *tacens.*

Q. 4. Quid est ampliatio?

R. Ampliatio statui opponitur, et est acceptio termini pro tempore *diverso* ab *importato* per copulam, ut si dicas: mutus loquitur; in qua mutus accipitur pro *transacto* ita ut sensus sit: ille, non qui est, sed qui fuit mutus; secus est falsa propositio.

Q. 5. Quid est restrictio?

R. Restrictio definitur contractio termini a maiori ad minorem significationem; et fit praesertim per voces adiacentes, ut si dicas: vir fortis non timet mortem; in qua propositione appositum *fortis* contrahit significationem viri.

Q. 6. Quid est diminutio, alienatio et remotio?

R. Diminutio est acceptio termini, non quoad totum, sed quoad partem, ut si dicas: Ætiops est albus quoad dentes.

Alienatio est translatio termini a propria ad alienam significationem, ut in ea sententia; vicit Leo de tribu Iuda; ubi vox *Leo,* sumpta est metaphorice.

Remotio est avocatio termini ad significationem chimaericam, quod fit unione duorum terminorum invicem pugnantium, ut si dicas: creatura omnium entium perfectissima.

Ubi nota quod si ex termino removente conflетur propositio absoluta (v. gr. si quis diceret: creatura omnium entium perfectissima est maior Deo), respondendum est negando *suppositum*, sc. dari aut concipi posse rem, de qua agitur. — Sin vero formetur propositio conditionalis, ut cum dicitur: si daretur creatura omnium entium perfectissima, esset maior Deo: respondendum est distinguendo; esset tantum maior Deo, nego: esset maior simul et minor, concedo. — Ex quo ostenditur antecedens, propter terminum removentem, esse contradictorium, ac proinde ex propositione sequi utramque contradictionis partem.

Art. 8. *De medio ad conceptuum et terminorum obscuritatem vitandam, seu ad ideas clariores efficiendas, nempe de* definitione.

Q. 1. Quid est definitio?

R. Definitio est oratio, quae id, quod definitur, explicat quid sit; seu est dilucida explicatio obiecti, de quo quaeritur. — Oratio huiusm. dicitur definitio a definiendo seu finiendo, quia rem, de qua agitur, suis quasi confiniis circumscribit, et ab aliis discriminat.

Q. 2. Quotuplex est definitio?

R. Definitio est duplex, alia *nominalis*, alia *realis*. Nominalis est oratio explicans proprium nominis significatum: realis est oratio explicans naturam rei significatae per nomen. — Hoc autem differt realis a nominali, quod haec nomen tantum explanat, ut dictum est, illa vero naturam rei; et

insuper quod nominalis ex arbitrio loquentis saepe pendet, realis vero non item; fas enim non est immutare notas et constituentia obiecti definiendi.

Q. 3. Quot modis fieri potest definitio tum nominalis, tum realis?

R. Definitio nominalis fit tripliciter; nempe 1. ex etymologia, cum sc. significatio nominis per derivationem a primitivo vocabulo explicatur, ut si dicas: Theologia est sermo de Deo: 2. ex sensu, quem homines communiter usu et consuetudine vocabulo affigunt: 3. ex sensu, quem ipse loquens libere determinat. — Qua in re tamen cavendum est, ne libertas huiusm. in licentiam degeneret; quemadmodum accideret, si voces ab omnibus communiter receptae in novam significationem pro lubito torquerentur; id enim non lites dirimeret, sed magnam perturbationem idearum induceret.

Realis definitio iterum triplex est, descriptiva, genetica et essentialis. Essentialis est, quae rem explicat per principia naturam constituentia, vel *metaphysica,* ut sunt genus proprium et differentia specifica; vel *physica* seu per principia, quae rem physice constituunt, ut sunt materia et forma: *descriptiva* est, quae rem per suas causas (extrinsecas, finalem, exemplarem, effectricem), aut attributa, aut etiam accidentia, manifestat: *genetica* est, quae rei productionem seu genesim explicat; ut si cycloidem definias, curvam planam genitam a puncto quovis circuli cuiusdam sese vertentis supra datam rectam.

Q. 4. Quo pacto recta fit realis definitio?

R. Realis definitio recta fit enumerando notas

obiecti per ideam repraesentati, et quidem eo numero ut sufficiant ad illud prae ceteris secernendum.

Q. 5. Quae percipiuntur, possuntne omnia definiri?

R. Non omnia, quae percipiuntur, definiri possunt; sunt enim quaedam obiecta adeo simplicia, ut in simpliciora resolvi nequeant; quae tamen, utpote lucidissima, definitione non egent: possunt tamen describi per verba quae auditoribus sint notiora per accidens.

DE LEGIBUS DEFINITIONIS.

Q. U. Quot et quaenam sunt leges definitionis?

R. Leges definitionis sunt quatuor, nimirum sequentes:

1. Definitio debet esse clarior definito: hinc cum definitur nomen, notiora vocabula; cum conceptus, notiores ideae sunt afferendae. — Sequitur quod definitio constare debet terminis propriis, non metaphoricis.

2. Definitio constare debet ex genere proximo et differentia specifica. — Quod si definitio non fiat per principia metaphysica, constet saltem notionibus quae generis proximi et differentiae ultimae, quoad fieri potest, vices gerant.

3. In definitione nihil redundare, nil desiderari debet; qua nota erit praedita definitio, si cum definito integre convertatur.

4. Res definienda, quoad respectum, sub quo definitur, definitionem non ingrediatur; secus explicare quis contenderet idem per idem.

ART. 9. *De medio ad ambiguitatem et confusionem terminorum et conceptuum vitandam, seu ad ideas distinctiores efficiendas, scilicet de* divisione.

Q. 1. Quid est divisio?

R. Divisio est distributio totius in suas partes.

Q. 2. Undenam oritur necessitas dividendi?

R. Necessitas dividendi oritur ex mentis nostrae imbecillitate, qua difficillime res complexas uno intuitu distincte percipimus.

Q. 3. Totum generatim, quod divisio in partes distribuit, quid et quotuplex est?

R. Totum generatim id est, quod unum est ita, ut in plura resolvi possit.

Est autem triplex, actuale, potestativum, modale. Actuale est illud, quod constat partibus actu existentibus, ut sunt anima et corpus in homine. — Sumit hinc nomen partitio actualis, quae aeque ac totum dividitur.

Potestativum est illud quod partes non habet actu, sed potentia tantum: talis est notio quaevis universalis, quoad inferiora, quae complectitur.

Modale est, quod divisioni est obnoxium ratione modorum diversorum, quibuscum coniungi potest. — Hinc divisio modalis exurgit, quae fit tripliciter; 1. dividendo *subiectum* ratione modorum, quibus afficitur, ut corpus in opacum et pellucidum: 2. dividendo modum ratione subiecti, cui inhaeret, ut album in niveum et cycneum: 3. dividendo modum ratione aliorum modorum, quibuscum sociatur, ut album in amarum et dulce.

Q. 4. Totum actuale, de quo supra, patiturne aliquam subdivisionem?

R. Totum actuale tripliciter subdividitur, sc. in logicum, metaphysicum et physicum.

Logicum est, quod partibus constat a sola mentis consideratione discretis; ut cum iudicium cogitamus quasi copula et terminis coalescens, cum revera nonnisi simplex actus mentis sit. —Metaphysicum erit si eius partes sint formaliter diversae, ut varii gradus entitatis, v. gr. substantiae, viventis, sentientis, rationalis, qui in homine virtualiter differunt, et per abstractionem mentis invicem separantur. —Physicum erit, si partes eius sunt *reales* et *invicem separabiles.*

Et hoc postremum, physicum scilicet, iterum triplex est; nimirum essentiale, integrale, accidentale. Totum physicum essentiale est, quod partibus constat ad essentiam rei pertinentibus; ut homo ex anima et corpore coalescens. — Totum physicum integrale est cuius partes, non ad essentiam, sed ad quantitatem spectant; ut homo respectu membrorum. — Totum physicum accidentale est quod partibus constat non ita inter se junctis, ut unum naturale individuum conflent, sed vel propinquitate vel ordine, vel actione mutua, invicem copulentur, ut acervus lapidum, exercitus militum, machina quaevis arte confecta. Huc reducitur totum morale, v. gr. familia, civitas etc.

DE LEGIBUS DIVISIONIS.

Q. U. Quot et quaenam sunt leges divisionis?

R. Leges divisionis sunt quatuor, nimirum sequentes:

1. Divisio sit brevis, ideoque ad partes minimas non descendat.

2. Fiat per membra se invicem excludentia ita ut unum non sit pars alterius.

3. Membra dividentia totum divisum adaequent, ita ut divisio cum diviso convertatur.

4. Partem quamlibet dividentem divisio excedat.

Art. 10. *De defectibus qui terminorum perceptionem vitiare possunt, deque eorum remediis.*

Q. 1. Quinam defectus vitiare possunt terminorum perceptionem?

R. Terminorum perceptio tres dotes habeat oportet; nempe ut sit clara, distincta et integra: hinc tres defectus rectae perceptioni terminorum opponi possunt, et sunt obscuritas, confusio et diminutio.

Q. 2. Quomodo contingit obscuritas, et quo pacto tollitur?

R. Obscuritas duplici modo contingere potest, sc. 1. ex parte termini, cuius sit obscura significatio; 2. ex parte rei significatae, cum nempe intelligimus quidem quae res termino designetur, non autem eius scimus naturam.

Horum autem defectuum priori medetur definitio nominis; posteriori definitio rei, ut ex praedictis (a. 8) patet.

Q. 3. Quomodo contingunt confusio et diminutio, et quodnam est earum remedium?

R. Confusio contingit, cum in termino rem aliquam *complexam* significante, mens, ubi aliquam

universaliorem notam perceperit, neglectis ceteris, rem se habere compertam confidit. — Huic defectui medetur divisio.

Diminutio contingit, cum soli termino attenditur, sed parum rei per ipsum significatae. — Et huic defectui medetur attentio et meditatio.

Q. 4. Quaenam in praxi servandae sunt leges tum ad attentionem tum ad memoriam juvandam?

R. Tres praecipue leges sequentes prae oculis habendae sunt; 1. quod nonnisi unum uno tempore consideretur; qui enim plura simul considerat, parum singulis attendit. 2. Quod cuique rei justa impendatur mora. Quare animus cohibendus et assuescendus est, ne avolet, sed 1. vim termini eiusq. amplitudinem rite perpendat: 2. rem ipsam, eiusq. notas omnes, attributa et respectus, sub quibus proponitur, mature scrutetur.

3. Quod rei eiusdem repetatur contemplatio, donec alte animo haereat; atque ob id mens avocetur ab externis curis. Tandem quod ad consignandas cogitationes sit calamus semper paratus.

CAPUT II.

DE IUDICIIS ET PROPOSITIONIBUS.

Caput praesens in sex articulos dividitur, quorum 1.us de judicii natura: 2.us de propositione, quae illud exprimit: 3.us de divisione propositionum, quae aeque ac judicia dividuntur: 4.us specialius de pro-

positionibus compositis: 5.us de modalibus et exponibilibus, quae ad genus compositarum reducuntur: 6.us de propositionum proprietatibus sermocinabitur.

Art. 1. *De judicio eiusque natura.*

Q. 1. Quid est judicium?

R. Iudicium est ea mentis operatio, quae, duabus ideis inter se comparatis, eas aut affirmatione coniungit, aut negatione separat.

Nota. Cum agitur de collatione duarum idearum cum tertia, tunc habetur iudicium *mediatum*, quod ad tertiam mentis operationem pertinet, ac de quo 3.º capite agendum erit, non vero *immediatum* vel a priori vel a posteriori, quod ad 2.^{am} mentis operationem spectat, de quo agimus in praesenti.

Q. 2. Quot et quaenam requiruntur ad efformandum judicium?

R. Tria ad efformandum judicium requiruntur; scilicet 1. perceptio idearum, subiecti nimirum et praedicati quod de subiecto affirmari aut negari debet: 2. idearum comparatio; si enim intellectus duas ideas non confert ad invicem, profecto neque potest percipere utrum inter se conveniant nec ne. Quae tamen comparatio non est *formale* judicii, sed tantum operatio illi praevia; nam saepe, illa peracta, nullum judicium ferimus; cum sc. relatio idearum adhuc latet: 3. perceptio relationis convenientiae aut discrepantiae, seu mentis assensus vel dissensus.

Q. 3. In quo actu proprie judicium ponendum est?

R. Iudicium proprie consistit in intuitu convenientiae vel discrepantiae idearum, quae comparantur; mens enim non aliter quam perceptione sibi loquitur: omnis autem percipiendi actus ditionem aliquam mentalem constituit. Hinc judicium, assensus vel dissensus mentis, intuitio convenientiae vel discrepantiae idearum, non differunt quoad rem, sed sunt unum et idem.

Q. 4. Estne iudicium aliquid simplex an complexum?

R. Iudicium subiective spectatum est simplex actus mentis; eius enim *obiectum formaliter* inspectum non est nisi nexus et habitudo conceptuum, qui mutuo conferuntur.

At ratione materiae et modi, quo in nobis gignitur, complexum est: consistit enim in nexu vel discrepantia duarum idearum percipienda; ad quod duabus ideis mutuo comparandis mens pervenit: id autem materialem quamdam obiecti compositionem importat.

Art. 2. *De expressione judicii seu de propositione.*

Cum propositio sit aliqua oratio, de ipsa oratione generatim aliquid prius dicendum est; deinde de enunciationis et propositionis natura disseremus.

§. 1. *De oratione eiusque partibus.*

Q. 1. Quid est oratio, et quid differt a vocabulis?

R. Oratio est quidam vocabulorum complexus aliquam animi sententiam referens. Differt a vocabulis ut totum a partibus.

Q. 2. Quotuplex est oratio?

R. Oratio est duplex, perfecta et imperfecta. *Imperfecta* est ea, quae sententiam non integram, sed incompletam denotat; ac proinde auditorem suspensum relinquit et aliud expectantem; v. g. *si corpora non moverentur....* — Orationes huiusm. terminis complexis valde affines sunt; a quibus hoc differunt, quod non mere rationem partis habent, ut termini, sed revera sint aliquod totum, licet non completum.

Perfecta oratio est ea, quae perfectum sensum in audiente gignit, ut si dicas: Deus est immortalis.

Q. 3. Quotnam species numerantur orationis perfectae?

R. Orationis perfectae quinque species recensentur a S. Thoma, et sunt: *enuntiativa, deprecativa, imperativa, interrogativa* et *vocativa;* quarum exempla sint: pro enuntiativa: *Deus est summum bonum:* pro vocativa: *o iuvenes studiosi* (non enim sufficit unum nomen vocativi casus; quippe *oratio pluribus* vocibus constare debet): pro interrogativa: *quid animo reputatis?* pro imperativa: *logicae praeceptis diligenter attendite;* pro deprecativa: *rogo vos ne otio indulgeatis:* pro optativa (quae ut dicemus ad deprecativam reducitur): *utinam omnes discipuli eadem diligentia utantur:* pro dubitativa, quae ad interrogativam refertur: *forsitan non omnes contenti estis.*

Cuius quidem partitionis ratio sic assignatur a S. Thoma: Quia intellectus non solum *concipit in seipso* veritatem rei, sed etiam ad eius officium pertinet secundum suum conceptum *alia dirigere et ordinare,* ideo necesse fuit quod sicut per enunciativam orationem significatur ipse mentis conceptus, ita etiam essent *aliquae aliae orationes* significantes ordinem rationis, secundum quam alia diriguntur. — Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria: primo quidem ad attendendum mente; et ad hoc pertinet vocativa: secundo ad respondendum voce; et ad hoc pertinet interrogativa: tertio ad exequendum opere; et ad hoc pertinet quantum ad inferiores oratio imperativa; quantum ad superiores deprecativa, ad quam reducitur oratio optativa, quia respectu superioris homo non habet vim motivam, nisi per expressionem sui desiderii.

Quia igitur istae quatuor orationis species non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum vel falsum, sed quemdam ordinem ad hoc consequentem; inde est quod in nulla earum invenitur verum vel falsum, sed solum in enunciativa, quae significat id, quod de rebus concipitur. Et inde est quod omnes modi orationis, in quibus invenitur verum vel falsum, sub enunciatione continentur; quam quidam dicunt indicativam vel suppositivam. Dubitativa autem ad interrogativam reducitur. (In lib. 1. Perihermoenias, lect. 7).

Q. 4. Quaenam sunt potissimum partes orationis?

R. Partes orationis sunt duae potissimum,

nempe nomen et verbum; idque duplici patet argumento: 1. quia dummodo nomen et verbum adsit, oratio conflari potest, quamvis ceterae orationis partes desint: 2. quia partes aliae, v. gr. pronomen, adverbium, coniunctio etc., non aliud officium praestare videntur, quam ut revocent, aut temperent, aut afficiant, aut connectant nomina et verba, quibus oratio conficitur. Sunt ergo nexus potius et adiumenta quam verae partes orationis.

Q. 5. Quid nomen a verbo differt?

R. Nomen a verbo hoc differt, quod nomen significat sine tempore, dum contra verbum tempus includit. Sic *lectio* significat actionem legendi, non prout exercetur nunc aut alias, sed prout est actio per se et veluti res quaedam: contra *lego* significat eamdem actionem, sed in ipso exercitio, quo fit, ac proinde tamquam fluentem secundum motum, cuius mensura est tempus.

Q. 6. Estne pars orationis principalior nomen an verbum?

R. Pars principalior orationis absolute est nomen; siquidem obiectum significat instar rei; res autem est subiectum tum existentiae, tum actionis aut passionis, quae a *verbis* significantur.

Q. 7. Competitne principalius esse partem orationis nomini et verbo substantivo, an adiectivo?

R. Quoad nomen, principalius competit esse partem orationis nomini substantivo quam adiectivo: nam nomen substantivum 1. rem significat per modum substantiae; quod non faciunt adiectiva, quae rem significant per modum accidentis: 2. substantivum adiunctum verbo reddit orationem veram

vel falsam: sic si dicas « corpora existunt » habes quantum sufficit ad veritatem orationis; non autem si dicas, v. gr. « albus est, » nisi aliquid aliud subaudias. — Et ob *eamdem* rationem nomen proprie est casus rectus; siquidem casus obliqui, etiamsi *verbo jungantur,* orationem, quae vera aut falsa sit, non efficiunt, ut si dicas: Caesaris amat.

Quoad verbum autem, non est simile; hoc enim etsi pariter dividatur in substantivum et adiectivum, tamen utroque modo sumptum est pars principalis orationis.

Verbum substantivum est *sum, es, est;* quod proprie actum essendi significat, qui primus est, et fundamentum omnium reliquorum actuum. Verba autem adiectiva sunt cetera verba, quae actionem vel passionem exprimunt, vel alias quascumque essendi modificationes et varietates.

Q. 8. Quaenam ex diversis speciebus orationis, de quibus supra, proprie spectat ad logicam?

R. E speciebus diversis orationis proprie ad logicam pertinet oratio *enunciativa:* non enim agit logica de mentis operationibus earumque signis nisi quatenus veritatem aut falsitatem *continent* vel *significant*: esse autem signum veritatis soliorationi enunciativae competit, ut dictum est; quia sola oratio enunciativa directe et proprie exponit judicium mentis, in quo proprie veritas aut falsitas continetur, ut suo loco probandum erit. — Reliquae vero orationes exprimunt potius voluntatis actus, qui a judicio praevio ingenerantur, ac proinde non ad logicam, sed ad Rhetoricam et Poesim pertinent.

§. 2. *De propositionis natura.*

Q. 1. Quid est enuntiatio?

R. Enuntiatio est oratio, quae verum vel falsum significat.

Q. 2. Quandonam enuntiatio appellatur propositio, et quaenam est definitio propositionis?

R. Enuntiatio, quatenus invenitur in syllogismo, appellata est propositio, quia proponitur et assumitur ad aliquid inferendum.

Quoniam vero sub artificiosa dispositione, quam ibi recipit, non attenditur eius veritas vel falsitas, sed sola eius assertio, hinc jure definitur *oratio aliquid de alio affirmans aut negans.*

Q. 3. Quotnam partes distinguuntur in propositione?

R. Tres in propositione distinguuntur partes, nempe *subiectum, praedicatum et copula.* Subiectum est id, de quo aliquid affirmatur aut negatur: praedicatum id, quod affirmatur aut negatur de aliquo: copula est ipsa affirmatio aut negatio; quae quidem non est terminus sed terminorum nexus.

Q. 4. Potestne aliqua dari propositio, quae praedicato careat, aut subiecto?

R. Negative; cum praedicatum et subiectum sint eius praedicata essentialia. — Saepe tamen subiectum aut praedicatum, vel etiam utrumque, in ea latent implicite, ut si dicas: *lego:* hoc est, *ego* sum *legens.*

Q. 5. Quomodo se habent termini et copula ad propositionem?

R. Termini imprimis ita se habent ad propositionem, ut sint eius materia; non enim ii soli propositionem constituunt, sed eius materiam praebent; copula autem, quae substantivi verbi *sum, es, est praesenti tempore* continetur, constituit eius formam; quia sicut forma est actus, seu actuat vel ponit in esse rem, cuius est forma, ita copula dat *esse* propositioni.

Et nota quod substantivum verbum, quotiescumque in propositione ponitur praeterito tempore vel futuro, ad copulam praesentis temporis revocatur; quaevis autem relatio ad praeteritum vel futurum tamquam pars praedicati habenda est. Sic propositio « justi erunt felices »; hoc pacto est resolvenda: « justi sunt felices futuri »; et ita de aliis similibus.

Art. 3. *De propositionum partitione.*

Propositionum partitio sumi potest ex parte materiae seu terminorum, — ex parte horum extensionis seu quantitatis — ex parte formae — ex parte convenientiae aut discrepantiae inter propositionem et obiectum, circa quod ipsa versatur.

§. 1. *De partitione propositionum ratione materiae seu terminorum.*

Q. U. Quomodo dividitur propositio ratione materiae ?

R. Propositio ratione materiae dividitur in necessariam, impossibilem et contingentem. Proposi-

tio necessaria est ea, in qua praedicatum per se (essentialiter vel naturaliter) inest subiecto, ut cum dicitur: homo est animal, vel: homo est risibilis. — Impossibilis dicitur illa, in qua praedicatum per se repugnat subiecto, ut in ea: homo est asinus. — Contingens est, in qua praedicatum nec per se repugnat, nec per se inest subiecto, ut in illa: Petrus sedet.

§. 2. *De divisione propositionum ratione extensionis subiecti seu ratione quantitatis.*

Q. U. Quomodo dividitur propositio ratione extensionis?

R. Imprimis advertendum est quod quantitas propositionis attenditur penes subiectum. — Porro ratione extensionis seu quantitatis propositio dividitur in universalem, singularem, particularem et indefinitam.

Universalis est, cuius subiectum afficitur signo universali, *omnis, nullus;* seu cuius subiectum sit terminus universalis generatim acceptus, ita ut singulis inferioribus tribuatur, ut: omnis homo est liber; nullum corpus est simplex. (nullus, idem ac non ullus.)

Singularis est, cuius subiectum est singulare, aut signo singulari affectum, ut: Plato docuit Athenis; *hic* homo est bonus.

Particularis est, cuius subiectum afficitur signo *particulari, quidam, aliqui;* seu cuius subiectum est terminus universalis, sed quoad partem tantum acceptus, ita ut praedicatum tribuatur tantum a-

liquibus ex inferioribus, ut: aliquod ens est infectum; aliquod astrum non scintillat.

Indefinita est, cuius subiectum nullo afficitur signo, quod eius extensionem innuat, ut: homo est liber.

Hic tamen est advertendum quod omnis propositio, quoad extensionem, revocanda est aut ad universalem aut ad particularem: nam vel subiectum sumitur in tota sua extensione, vel non: si prius, universalis, si posterius, particularis est propositio. — Et sane propositio singularis haberi potest tamquam universalis, quia eius subiectum sumitur secundum totam suam extensionem. Quoad indefinitam vero, haec si est in materia necessaria aut impossibili, aequivalet universali, ut si dicas: homo est liber; effectus non indiget causa; sin vero est in materia contingenti, aequivalet particulari; ut cum dicitur: homo est mendax.

Notandum hic quoque est propositiones universales, vel etiam indefinitas cum universaliter sumuntur, haberi universales universalitate vel metaphysica, vel physica, vel etiam morali; secundum quod aut contrarium repugnat absolute, aut repugnat tantum manentibus legibus physicis, quae suspendi possunt a Deo; aut stantibus legibus moralibus, quibus non raro exceptiones fiunt, quae ab humano arbitrio dependent.

§. 3. *De divisione propositionum ratione formae seu qualitatis essentialis.*

Q. 1. Quomodo dividitur propositio ratione formae?

R. Propositio ratione formae dividitur in affirmantem et negantem: affirmans est, quae asserit unum de alio, ut: Deus est justus: negans est quae aliquid de alio negat, ut: Deus non est mutabilis.

Q. 2. Particula *non* in propositione efficitne ipsam semper negantem?

R. Particula *non* in propositione ipsam non semper efficit negantem, sed tantum si cadat supra copulam: quare haec propositio, homo est *non* mortalis, qnoad formam logicam non est negativa, sed habet negativum praedicatum.

Q. 3. Propositio affirmans estne negante nobilior?

R. Propositio affirmans est equidem nobilior negante; illa enim quid res sit, haec quid non sit tantum exprimit: insuper negatio in affirmatione fundatur, ac proinde propositio affirmans est etiam *ordine* prior negante.

Q. 4. Attributum propositionis *affirmantis* sumiturne, *vi affirmationis*, secundum totam suam *extensionem*, et secundum totam suam *comprehensionem?*

R. Attributum propositionis *affirmantis* non sumitur secundum totam suam *extensionem, vi affirmationis:* nam quando *affirmatur* praedicatum subiecto convenire, non hoc ipso affirmatur convenire

ipsi soli; scilicet non affirmatur, omnia quae habent qualitatem expressam a praedicato, in hoc contineri subiecto; id enim minime importat affirmatio: Sic cum dicitur: Alexander est homo: pronuntiatur Alexandrum esse, non omnes homines, sed aliquem hominem. — Et diximus *vi affirmationis:* potest enim fieri *vi materiae,* ut sumatur secundum totam suam extensionem, ut cum dicitur: circulus est rotundus.

Contra praedicatum propositionis *affirmantis* sumitur secundum totam suam *comprehensionem:* si enim aliqua attributi qualitas repugnaret subiecto, inter utrumque non amplius existeret convenientia, quae hic affirmatur.

Q. 5. Attributum propositionis *negantis* sumiturne in tota sua *extensione* — et in tota sua *comprehensione?*

R. Attributum propositionis *negantis* sumitur in tota sua *extensione:* nam in propositione *negante* attributum removetur a subiecto, quia una saltem ex eius proprietatibus repugnat subiecto: quare omnia entia, quae habent id, cui repugnat subiectum, ab ipso removenda sunt: atqui omnia entia eiusdem extensionis seu speciei, habent id, cui repugnat subiectum; secus eiusdem speciei non essent: ergo subiectum ea omnia removet. Sic si dicas « spiritus non est corpus » removes a subiecto entia omnia, quae corpus dicuntur et sunt.

Contra in ipsa propositione *negante* attributum non sumitur in tota sua *comprehensione*: nam ut subiecto attributum repugnet, sufficit ut ex eius essentialibus proprietatibus una ipsi adversetur,

cum essentiae sint indivisibiles: sic v. gr. corpus et spiritus in hoc conveniunt quod sunt duae substantiae; discrepant vero in eo, quod corpus materia coalescit, qua immunis est spiritus: haec autem differentia generat hanc negantem; corpus non est spiritus.

§. 4. *De divisione propositionum ratione respectus totius propositionis ad obiectum, circa quod versatur.*

Q. U. Quomodo dividitur propositio ratione respectus totius propositionis ad obiectum, circa quod ipsa versatur?

R. Propositio sub hoc respectu dividitur in veram et falsam. Vera est quae cum obiecto concordat: falsa, quae ab ipso dissonat.

Art. 4. *De propositionibus compositis.*

Q. 1. Quaenam sunt propositiones simplices et quaenam compositae?

R. Propositiones simplices sunt, quae constant uno subiecto et uno praedicato, etsi utrumque complexum sit, modo plures terminos ope alterius particulae non connectat. Talis est ea: *vir fortis* non timet mortem.

Compositae sunt, quae aut pluribus propositionibus coalescunt, aut attributo vel subiecto constant, quorum plures termini particulae cuiusdam adminiculo junguntur, ut: vita *et* mors sunt in manu linguae. Vel etiam: Pythagoras docuit animam

migrare de corpore in corpus, *et* non esse licitum vesci carnibus.

Q. 2. Quomodo dividitur propositio composita?

R. Propositio composita dividitur in conditionalem, copulativam, causalem, disiunctivam, relativam et discretivam.

§ 1. *De propositione conditionali.*

Q. 1. Quaenam dicitur propositio conditionalis; et quaenam ex propositionibus, quibus constat, dicitur conditio vel antecedens, quaenam autem conditionatum vel consequens?

R. Propositio conditionalis est, quae constat particula *si*, aut alia conditionem exprimente, ut: si lucet, dies est. Propositio huiusmodi dicitur hypothetica ad oppositionem illius, in qua praedicatum *absolute* tribuitur subiecto, quae dicitur categorica.

Dicitur autem conditio vel antecedens ea propositio, quae per particulam *si* quodammodo suspenditur; conditionatum vero vel consequens, quae ex eius positione consequitur.

Q. 2. Quid requiritur ut propositio conditionalis sit vera?

R. Ut propositio conditionalis sit vera, requiritur et sufficit, unum sequi ex alio, licet forte neutrum verum sit; proprie enim affirmatur utriusque nexus, non vero alterutra propositio connexa.

§ 2. *De propositione copulativa, causali, disiunctiva, relativa, et discretiva.*

Q. 1. Quaenam dicitur propositio copulativa, et quid ad eius veritatem requiritur?

R. Propositio copulativa dicitur ea, quae plura aut subiecta, aut praedicata, aut propositiones coniungit per particulam copulantem; ut: homo est sensu *et* ratione praeditus.

Ut propositio huiusm. sit vera, requiritur, stricte judicando, ut utraque pars vera sit.

Q. 2. Quaenam dicitur propositio causalis, et quandonam vera est?

R. Propositio causalis est, quae duas simplices propositiones jungit causali particula *quia, eo quod,* ut: superbit, *quia* dives est.

Est vera quando antecedens est causa consequentis; id enim propositio causalis affirmat.

Q. 3. Quaenam est propositio disiunctiva, et quid ad eius veritatem exigitur?

R. Propositio disiunctiva est, quae plures partes nectit ope particulae disiungentis, ut: substantia *aut* est simplex, *aut* composita.

Ad eius veritatem requiritur tum ut distributio sit completa et absit proinde medium, tum ut una saltem divisionis pars vera sit.

Q. 4. Quaenam est propositio relativa, et undenam eius veritas pendet?

R. Propositio relativa est, quae comparationem aliquam instituit, ut: quemadmodum se habet instrumentum quoad artificem, sic se habet creatura quoad Deum.

Eius veritas pendet ex veritate comparationis, quam propositio instituit.

Q. 5. Quaenam est propositio discretiva, et quid requiritur ad eius veritatem?

R. Propositio discretiva est, quae duas propositiones simplices jungit particula discretiva *sed, tamen,* ut: non est doctus *sed* pius.

Ut sit vera, opus est ut partes ex quibus constat, verae sint, et quadam inter se oppositione adversentur.

Art. 5. *De aliis propositionibus, quae ad genus compositarum reducuntur, seu de modalibus et exponibilibus.*

§. 1. *De propositione modali.*

Q. 1. Quaenam dicitur propositio modalis?

R. Propositio modalis dicitur illa, quae ita praedicatum enuntiat de subiecto ut insuper exprimat modum, quo praedicatum subiecto competit.

Nota. In propositione modali distinguitur *dictum* et *modus.* — Dictum est propositio absoluta in modali inclusa.

Q. 2. Quot modalium genera numerantur?

R. Quatuor propositionum modalium genera numerantur: aliae enim dicuntur modales ex necessario; aliae ex contingenti; aliae ex possibili; aliae ex impossibili. Exempla: homo *necessario* est rationalis: mundus *contingenter* existit: alter mundus *possibilis* est: *impossibile* est brutum ratiocinari.

Q. 3. Quid requiritur ut propositio modalis sit vera?

R. Ut propositio modalis sit vera requiritur ut praedicatum non solum conveniat subiecto, sed etiam ipsi conveniat eo modo, quo asseritur convenire.

§. 2. *De propositione exponibili et exponente.*

Q. 1. Quaenam est propositio exponibilis et quaenam propositio exponens?

R. Propositio exponibilis est ea, quae specie tenus est simplex, reapse vero composita. — Exponens est propositio aperte composita, in quam resolvitur, perspicuitatis gratia, propositio exponibilis.

Q. 2. Quotuplex est propositio exponibilis?

R. Propositio exponibilis quadruplex est, nempe exclusiva, exceptiva, reduplicativa et relativa.

Exclusiva est ea, cui admiscetur particula excludens, *solum, tantum,* ut: virtus *tantum* est laudanda; quae sic exponitur: virtus est laudanda, et nihil aliud, praeter virtutem est laude dignum. — Ubi nota quod particula exclusiva aliquando se tenet ex parte praedicati, et tunc cetera praedicata excludit a subiecto, ut: divitiae sunt parandae solum ad usum: aliquando vero se tenet ex parte subiecti, et tunc excludit cetera subiecta a praedicato, ut: solus Deus est aeternus.

Exceptiva est, cui interseritur particula excipiens, *praeter, nisi* etc. ut: omne ens, praeter Deum, est mutabile; quae sic exponitur: Deus est

immutabilis, et cetera omnia entia mutari possunt. — Haec distinguitur ab exclusiva in hoc quod exclusiva vi sua semper impertit contrarium praedicatum parti, quam excludit; exceptiva vero non semper, idque a mente proferentis pendet, qui proinde ad ambiguitatem tollendam se explicare debet.

Reduplicativa est, quae particula reduplicante afficitur, *quatenus, prout, inquantum* etc., ut: homo, quatenus homo, est liber; quae sic exponitur: homo est liber, et libertas convenit ipsi ratione humanitatis.

Relativa est, quae comparationem aliquam affert, ut: aurum pretiosius est argento; et sic exponitur: aurum est pretiosum, eiusque pretium maius est argento.

Art. 6. *De propositionum proprietatibus.*

Propositionum proprietates tres sunt potissimum, nempe oppositio, aequipollentia, convertibilitas. De his singillatim.

§. 1. *De propositionum oppositione.*

Q. 1. Quid est propositionum oppositio?

R. Propositionum oppositio est diversitas vel pugna duarum propositionum, *eosdem habentium terminos,* sed vel qualitate, vel quantitate, vel utraque discrepantium. — Dicitur *eosdem habentium terminos,* quia minima variatio, scilicet quoad sensum, tollit oppositionem.

Q. 2. Quotnam species oppositionum numerantur?

R. Quatuor oppositionum species numerantur, et sunt oppositio contradictoria, oppositio contraria, oppositio subcontraria et oppositio subalterna.

Q. 3. Quid est oppositio contradictoria?

R. Oppositio contradictoria est pugna inter duas propositiones, quae *quantitate* simul et *qualitate* differunt, ut: *omnis* homo disputat; *aliquis* homo *non* disputat.

Nota. Propositiones singulares eo ipso quod differunt *qualitate* evadunt contradictoriae; earum enim subiectum nullam extensionem habet: quare propositio negans penitus adversatur affirmanti. Sic sunt contradictoriae « Petrus est justus, Petrus *non* est justus ».

Q. 4. Quid est oppositio contraria?

R. Oppositio contraria est pugna inter duas propositiones, quae ambae sunt *universales*, et differunt *qualitate*, ut: omnis homo est justus; nullus homo est justus.

Q. 5. Quid est oppositio subcontraria?

R. Oppositio subcontraria est pugna inter duas propositiones, quae sunt ambae *particulares*, et differunt item *qualitate*, ut: *aliquis* homo est justus; *aliquis* homo *non* est justus.

Q. 6. Quid est oppositio subalterna?


R. Oppositio subalterna est pugna inter duas propositiones, quae differunt *quantitate*, sed non qualitate, ut: *omnis* homo loquitur: *aliquis* homo loquitur.

Porro quae universalis est, dicitur subalternans; quae vero est particularis, vocatur subalternata. — Proprie tamen has inter propositiones vera oppositio non viget.

Haec omnia, quae praediximus, hisce versiculis et sequenti schemate continentur:

Asserit A, negat E, verum generaliter ambo:
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

SCHEMA.



Q. 7. Propositiones contradictoriae possuntne esse simul verae aut simul falsae?

R. Propositiones contradictoriae (sc. A et O, E et I) nequeunt esse simul verae — item nec simul falsae. Revera si praedicatum convenit *omnibus* inferioribus subiecti, hoc ipso falsum est, quod eorum alicui non conveniat. — Et item si falsum est, praedicatum convenire omnibus inferioribus subiecti, hoc ipso verum erit quod eorum alicui non conveniat.

Hinc statim inferes, ex veritate unius *contradictoriae* recte argui falsitatem alterius, et viceversa.

Q. 8. Debentne dici de contrariis, quae de contradictoriis dicta sunt?

R. Propositiones contrariae possunt quidem si-

mul esse falsae; at nequeunt esse simul verae: si enim praedicatum vere de omnibus dicitur, nequit simul vere de omnibus negari: et sic non possunt esse simul verae: potest tamen contingere quod nec omnibus sit tribuendum, nec de omnibus negandum sit, sed tribuendum aliquibus, aliquibus contra negandum; et ita possunt esse simul falsae. — Pars prior potest etiam sic aliter demonstrari. Si A et E essent simul verae, I et O essent etiam verae; et sic verae essent simul A et O, E et I, contradictoriae; quod est impossibile.

Ex his inferes, ex veritate unius *contrariae* recte argui falsitatem alterius; non posse autem ex falsitate unius veritatem alterius inferri.

Q. 9. Quid de subcontrariis?

R. Propositiones subcontrariae 1. possunt simul esse verae in materia *contingenti;* non autem in materia necessaria: 2. non possunt simul esse falsae; nam si falsa est I, vera erit E eius contradictoria, et a fortiori O, inclusa in E: ergo si falsa est I, necessario vera est O. — Pariter si falsa est O, vera erit A, et consequenter I: ergo si falsa est O, vera erit I.

Hinc inferes, ex veritate unius subcontrariae non posse statim argui veritatem nec falsitatem alterius (neutrum enim per se exinde sequitur, et potest tum hoc, tum illud contingere); posse tamen ex unius falsitate veritatem alterius illico inferri.

Q. 10. Quid de subalternis?

R. Propositiones subalternae possunt esse simul verae, et simul falsae.

Ex consideratione vero earum naturae intelliges

1. ex *veritate* subalternantis rite argui veritatem subalternatae: 2. ex *falsitate* subalternatae recte argui falsitatem subalternantis: non autem ex veritate *subalternatae* posse argui veritatem subalternantis; sicut etiam ex falsitate subalternantis nequit argui falsitas subalternatae.

§ 2. *De aequipollentia propositionum.*

Q. 1. Quid est aequipollentia?

R. Aequipollentia, ut ipsa vox indicat, est eadem vis idemque sensus duarum propositionum proveniens ex *signorum aequipollentia;* seu est duarum propositionum oppositarum reductio ad eamdem significationem.

Q. 2. Qnomodo fit huiusmodi reductio?

R. Reductio huiusm. fit addendo particulam *non* uni ex propositionibus oppositis (quaelibet enim propositio habet aliam propositionem sibi oppositam); et hoc ipso habebitur propositio suae oppositae aequipollens.

Particula *non,* ut patet, vim habet flectendi in sensum oppositum dictionem, cui praefigitur; et quidem si praefigitur *quantitati,* mutat propositionem ex universali in particularem, aut ex particulari in universalem; si vero praefigitur qualitati, mutat propositionem ex affirmativa in negativam et vicissim ex affirmativa in negativam.

Q. 3. Quaenam traduntur regulae pro aequipollentiis?

R. Tres pro aequipollentiis traduntur regulae hoc versiculo inclusae:

Prae contradic; post contra; prae postque subalter.

Idest si vis reddere propositiones aequipollentes, negationem praepone contradictoriis, postpone contrariis, praepone et postpone subalternis.

Exempla 1.ae regulae, scilicet *prae in contradictoriis.*

Omnis homo est albus; eius contradictoria: aliquis homo non est albus. Adde huic *non*, et habebis propositionem suae oppositae, idest primae, aequipollentem; *non* aliquis homo non est albus; idest nullus homo non est albus, seu omnis homo est albus.

Item, nullus homo est albus; eius contradictoria: aliquis homo est albus: addendo *non*, habebitur aequipollens primae; non aliquis homo est albus, idest nullus homo est albus.

Vel etiam, nullus homo est albus: addendo huic *non*, habebitur alia: *non* nullus homo est albus; seu ullus homo est albus; idest aliquis homo est albus. Sic ergo primae addendo *non*, fit aequipollens suae oppositae, quae est, aliquis homo est albus.

Exempla 2.ae regulae, sc. *post in contrariis.*

Omnis homo est albus: eius contraria est, nullus homo est albus: postponendo subiecto primae *non*, habebitur alia; omnis homo *non* est albus, quae est aequipollens oppositae, nullus homo est albus.

Item, nullus homo est albus: postponendo *non*, habebitur haec, nullus homo non est albus; quae est aequipollens oppositae, omnis homo est albus.

Exempla 3.ae regulae, sc. *prae postque in subalternis.*

Omnis homo est albus: eius subalterna est, aliquis homo est albus: praeponendo et postponendo *non* subiecto primae, habebitur alia, non omnis homo non est albus, quae est aequipollens oppositae, aliquis homo est albus.

Item, nullus homo est albus; eius subalterna est, aliquis homo non est albus; praeponendo et postponendo *non* subiecto primae, habebitur alia, non nullus (seu ullus, seu aliquis) homo non est albus, quae est aequipollens oppositae, aliquis homo non est albus.

§ 3. *De propositionum conversione.*

Q. 1. Quid est conversio propositionis?

R. Conversio propositionis est commutatio eius terminorum ita ut praedicatum fiat subiectum, et subiectum fiat praedicatum, salva tamen veritate, ut: scientia non est summum bonum: ergo summum bonum non est scientia.

Q. 2. Quotuplex conversio assignatur a logicis?

R. Triplex conversio assignatur a logicis, nempe simplex, per accidens, et per contrapositionem.

Conversio simplex ea est, in qua servatur *quantitas* propositionis.

Conversio per accidens est, in qua eius quantitas mutatur.

Conversio per contrapositionem est, quae fit praefigendo particulam *non* utrique termino transposito, sed propositionis quantitas retinetur.

Q. 3. Quibusnam legibus fit conversio?

R. Conversio fit sequentibus legibus quae hisce sunt inclusae versiculis:

Simpliciter *feci* convertitur, *Eva* per accid.
Asto per contrap.; sic fit conversio tota.

Ut vero significatio litterarum A, E, I, O facilius memoria retineretur, eam dialectici hisce aliis versiculis incluserunt:

Asserit A, *negat* E verum *generaliter* ambo:
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

Horum autem omnium sensus est, 1° converti *simpliciter* propositiones significatas per vocales E et I vocis *feci*, nimirum universales negativas et particulares affirmativas.

Secundo converti per *accidens* propositiones significatas per vocales E et A vocis Eva, nimirum *universales* tum affirmativas tum negativas.

Tertio converti per contrapositionem propositiones significatas per vocales A et O vocis Asto, scilicet universales affirmativas et particulares negativas.

Exempla primae conversionis.

Nullus homo est lapis (E): ergo nullus lapis est homo. — Item: aliqua substantia est vivens (I): ergo aliquod vivens est substantia.

Exempla 2.ae conversionis.

Omne animal est substantia (A): ergo aliqua substantia est animal. — Item: nullum animal est carens vita (E): ergo aliquid carens vita non est animal.

Exempla 3.ae conversionis.

Omnis homo est substantia (A): ergo omnis *non* substantia est *non* homo. — Item: aliquod vivens non est animal (O): ergo aliquod non animal *non* est *non* vivens, seu aliquod non animal est vivens.

CAPUT III.

DE RATIOCINIO ET ARGUMENTATIONE.

Caput hoc tertium in 13 art. dividitur; quorum 1. agit de deductione: 2. de eius expressione, nimirum de argumentatione, necnon de syllogismo, qui argumentationis est simplicior et completa expressio: 3. de principiis, quibus syllogismus innititur: 4. de syllogismi legibus: 5. de quibusdam difficultatibus circa syllogismi leges occurrentibus: 6. de syllogismi figuris: 7. de singularum figurarum modis: 8. de syllogismo composito, nimirum de conditionali, disiunctivo et copulativo: 9. de syllogismo complexo et expositorio: 10. de fallaciis, seu de vitiis argumentationis: 11. de ceteris argumentandi generibus, quae facile ad syllogismum reducuntur, et sunt Enthimema, Sorites, Epicherema, polysyllogismus, dilemma: 12. de inductione, ubi agitur speciatim de modo, quo syllogismi formam induit. — Quibus duplex addetur appendix, nempe de concertatione scientifica, et de inventione medii.

Art. 1. *De deductione seu ratiocinatione.*

Q. 1. Quid est deductio seu ratiocinatio?

R. Deductio seu ratiocinatio est ea operatio, qua mens ex una veritate cognita aliam deducit.

Q. 2. Cuinam ex tribus mentis operationibus ratiocinatio respondet?

R. Ratiocinatio tertiae mentis operationi respondet: nam intellectus humanus, ut dictum est, ita a natura est comparatus, ut rerum notitiam non statim initio plene assequatur, sed gradatim perficiat. Hinc oriri diximus ut mens rem sibi propositam primo simpliciter apprehendat, deinde judicet. Et etiam inde fit ut mens vi unius judicii procedat in aliud, et sic discursu quodam acquisitam cognitionem amplificet, et ulterius provehat.

Ut autem intelligatur quo pacto id eveniat, advertendum est mentem, cum duas ideas inter se comparat, dupliciter se habere posse: aut enim earum sive convenientiam sive discrepantiam illico deprehendit, aut secus. Si primum accidit, exurgit judicium, de quo superiori capite dictum est, quod propterea *immediatum* dicitur, quia praevium aliud judicium nullum habet, a quo derivetur, sed proxime sequitur apprehensionem idearum: sin accidit alterum, tunc mens haeret anceps, et ex eo statu se aliter eximere nequit, nisi ope tertiae cuiusdam ideae, cum qua duae praecedentes, utpote cum hac nexum immediatum habentes, ita comparentur, ut manifestetur, utrum ambae illi conveniant, an contra una quidem conveniat, altera vero discrepet; et sic tandem deducatur, utrum conveniant, an discrepent inter se.

Q. 3. Quaenam igitur requiruntur ad ratiocinium?

R. Ad ratiocinium requiruntur judicia aliqua, tamquam ratiocinationis materia, quae mutuo comparantur: et intuitio nexus inter judicia isthaec intercedentis, qui ratiocinii formam constituit.

ART. 2. *De expressione ratiocinii seu de argumentatione, et potissimum de syllogismo.*

Q. 1. Quid est argumentatio; et quomodo eius partes nominantur?

R. Argumentatio est oratio, qua propositio una ex alia infertur.

Propositio autem, unde infertur, dicitur antecedens; propositio, quae infertur, consequens; ipsa vero consequentis ex antecedente derivatio, consequentia vocatur. — Differt ergo consequens a consequentia; et haec potest esse vera, quin verum sit consequens, et vicissim.

Q. 2. Quid est syllogismus?

R. Syllogismus est completa et simplicior ratiocinii expressio. Definitur autem ea argumentatio, qua duabus positis propositionibus, tertiam consequi necesse est.

Dicitur completa argumentationis expressio, quia omnis ratiocinatio tribus revera judiciis constat necessario; cum in hoc vertatur, ut duas ideas, quarum pugnam, vel convenientiam immediate mens non percipit, comparet cum alia tertia, ut inde eam cognitionem arripiat. — Dicitur deinde expressio ratiocinii simplicior, quia in syllogismo nihil redundat.

Q. 3. Quotnam ergo propositionibus constat syllogismus, et quibus nominibus donantur?

R. Tribus propositionibus constat syllogismus, ut dictum est; et duae quae praecedunt, vocantur praemissae; tertia quae infertur, conclusio appellatur.

Q. 4. Quotnam termini requiruntur ad syllogismum?

R. Tres ad syllogismum termini requiruntur et sufficiunt; quorum duo, qui conclusionem efformant, dicuntur extremi, sc. alter extremus maior, alter extremus minor: tertius, qui una cum praedictis praemissas constituit, medius terminus nominatur.

Q. 5. Quinam ex extremis (qui nempe conclusionem efformant), dicitur extremus maior, et quinam extremus minor?

R. Extremus maior est, qui praedicatum agit: qui vero in ipsa conclusione locum tenet subiecti, extremus minor vocatur. — Dicitur autem prior ille *extremus maior*, quia latius patet, et subiectum, seu eius ideam perficit: alter vero dicitur *extremus minor* ratione contraria.

Q. 6. Estne idem ordo assignandus inter praemissas?

R. Aff.^{ve}; altera enim ex iis dicitur praemissa maior, et altera praemissa minor. Et dicitur praemissa maior ea, in qua *maior extremus* comparatur *cum medio termino*: ea vero in qua *cum medio termino* comparatur *extremus minor*, praemissa minor vocatur.

Q. 7. Quid ergo intelligitur ex praedictis pro materia remota et proxima syllogismi, et quid pro eius forma?

R. Pro materia remota intelliguntur termini, ex quibus propositiones constant; pro materia proxima ipsae propositiones, ex quibus exurgit syllogismus: artificiosa vero earum dispositio ad inferendum requisita constituit eius formam.

Art. 3. *De principiis quibus innititur syllogismus et ratiocinatio generatim.*

Q. U. Quibusnam principiis innititur syllogismus et ratiocinatio generatim?

R. Syllogismus et ratiocinatio generatim hisce duobus principiis innititur, quorum primum dicitur principium identitatis, alterum principium repugnantiae, quae sic exprimuntur: *quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; — quorum unum est idem uni tertio, aliud vero non idem, non sunt eadem inter se.* — Quae duo principia a veteribus *dictum de omni* et *dictum de nullo* appellata sic aliter exprimebantur: *quidquid universaliter distributive affirmatur de aliquo subiecto, nequit non affirmari de particularibus, quae in eo continentur; et quidquid universaliter distributive de aliquo subiecto negatur, negandum est etiam de particularibus in illo inclusis.* — Ratio autem est, quia secus, ut patet, affirmaretur simul et negaretur idem de eodem contra praescriptum principii contradictionis aientis « impossibile esse idem simul esse et non esse ».

Ubi tamen adverte quod discrimen inter illas formulas magis est quoad voces, quam quoad rem, ut facile consideranti patet.

Art. 4. *De syllogismi legibus.*

Q. 1. Quot et quaenam sunt syllogismi leges?

R. Leges syllogismi sunt octo, hisce versiculis inclusae:

1. Terminus esto triplex, maior, mediusque, minorque.

2. Latius hos, quam praemissae, conclusio non vult.

3. Nequaquam medium capiat conclusio, oportet.

4. Aut semel aut iterum medius generaliter esto.

5. Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.

6. Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.

7. Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.

8. Peiorem sequitur semper conclusio partem.

Q. 2. Quaenam est ratio 1.^{ae} regulae?

R. Prima regula est: terminus esto triplex etc. — Huius regulae ratio est, quod ars syllogistica tota est in eo, ut duorum extremorum nexus aut pugna colligatur ex eorum comparatione cum tertio termino; quare si quartus addatur, tota syllogismi structura ruit.

Et nota quod termini tres debent esse sensu, non voce; nihil enim obstat quin termini sint complexi, vel etiam integrae propositiones.

Q. 3. Quaenam est ratio 2.^{ae} regulae?

R. Secunda regula est: latius hos, quam praemissae etc. — Ratio huius regulae est, quia si terminus aliquis in conclusione latius quam in praemissis pateat, tunc 1.° ex ea parte, qua latius patet, non fluit ex praemissis; et 2.° habetur quartus terminus; qui enim terminus latius patet, differt ab eo qui minus patet.

Q. 4. Quaenam est ratio 3.ae regulae?

R. Tertia regula est: nequaquam medium capiat etc. — Huius regulae ratio est, quod officium conclusionis est coniungere aut seiungere terminos extremos, juxta eorum convenientiam aut discrepantiam cum tertio, non autem eos cum tertio comparare.

Q. 5. Quaenam est ratio 4.ae regulae?

R. Quarta regula est: aut semel aut iterum medius etc. — Huius regulae ratio est, quia secus terminus medius esset aequivalenter duplex: posset enim exhibere in comparatione cum maiori et minori extremo duas, easque diversas, suae extensionis partes; et sic haberetur quartus terminus; nam duae illae diversae partes duos terminos constituerent. — Hoc vitio turpatur, ex. gr. hic syllogismus: haec linea convenit cum parte tertiae cuiusdam lineae: haec alia linea convenit item cum parte tertiae illius lineae: ergone conveniunt inter se? Nil sequitur ex syllogismo: convenient si cum eadem parte illius tertiae lineae facta fuerit bina comparatio: secus si cum parte diversa. Ut syllogismus concluderet, dici, saltem semel, debuisset: haec linea convenit cum *qualibet* parte tertiae lineae: haec alia convenit cum parte: ergo etc.

Hic recolendum est, subiectum in omni et sola propositione universali *generaliter* sumi, seu in tota sua amplitudine: praedicatum vero in sola propositione negativa, ut c. 2.° a. 3.° §. 3. dictum est.

Q. 6. Quaenam est ratio 5.ae regulae?

R. Quinta regula est: Utraque si praemissa neget etc. — Huius regulae ratio est, quia licet duo extremi non conveniant cum tertio, possunt tamen

inter se convenire aut non convenire, sed neutrum exinde probatur: nam medius terminus adhibitus non est mensura comunis, et ideo non existit syllogismus.

Nota tamen quod id locum habet tantum quando utraque praemissa est negativa realiter et non apparenter dumtaxat. Sic v. gr. concludit, licet eius praemissae appareant negativae, syllogismus sequens:

Quod non est compositum, non est divisibile:
Sed anima humana *non* est *composita:*
Ergo anima humana non est divisibilis.

Signum autem negationis non realis, sed apparentis, in eo habes quod medius terminus inveniri debet idem in utraque praemissa; et hic tamen non idem invenitur in maiori et minori: nam in minori non habetur « *quod non est compositum* »: ergo minor praemissa exponenda est. Quoties vero sic fieri expositio potest ut sine sensus mutatione habeatur praemissa affirmans, syllogismus concludit. Sic in exemplo allato expositio sequenti modo optime fit:

Quod non est compositum non est divisibile:
Sed anima humana est aliquid *quod non est compositum:*
Ergo anima humana non est divisibilis.

Ubi vides, minorem allati argumenti realiter esse affirmantem, et medium terminum in utraque praemissa, expositione facta, idem redire.

Q. 7. Quaenam est ratio 6.ae regulae?

R. Sexta regula est: ambae affirmantes etc. — Ratio huius regulae est, quod si ambae praemis-

sae sint affirmativae, bini extremi conveniunt cum tertio: ergo, ex principio identitatis, nequeunt non convenire inter se.

Q. 8. Quaenam est ratio 7.^{ae} regulae?

R. Septima regula est: nil sequitur geminis etc. — Ut huius regulae ratio pateat, triplex casus fingendus est: nimirum quod praemissae *particulares* aut sint ambae affirmantes, aut sint ambae negantes, aut alia affirmans, alia negans.

Iamvero non concluditur in 1.° casu: nam in *particularibus affirmativis*, nec subiectum, nec praedicatum distribuitur, ut c. 2.° a. 3.° §. 3.° dictum est: atqui id pugnat cum lege quarta syllogismi; *Aut semel aut iterum* etc.: ergo.

Item non concluditur in 2.°: nam ex lege 5.^{a}, si utraque praemissa neget, nil sequitur.

Tandem non concluditnr in 3.° casu. Habemus enim hic ex hypothesi praemissam unam *particularem afflrmativam,* alteram particularem et negativam. Porro 1.° in propositione *particulari affirmativa* nec subiectum nec praedicatum distribuitur, ut dictum est: 2.° in propositione *particulari negante,* praedicatum quidem distribuitur, sed frustra. Si enim sedem illam, ut necesse est, occupet medius terminus, nulla alia sedes generalis superest pro extremis. Hoc autem posito, vis conclusionem affirmantem, an negantem? — Si primum eligitur, syllogismus peccat contra principium repugnantiae: sin secundum, peccat contra legem 2.^{am}; *latius hos quam praemissae* etc.: cum enim in conclusione negativa praedicatum distribuatur, debuisset etiam distribui in praemissis; atqui tamen

ex praedictis fieri non potuit, quia scilicet nulla alia sedes generalis in illis aderat nisi quam usurpavit medius terminus: ergo.

Q. 9. Quaenam est ratio 8.ae regulae?

R. Octava regula est: peiorem sequitur semper etc. — Imprimis huius regulae sensus est, quod si alterutra praemissa erit negans, negans quoque erit conclusio: si alterutra praemissa erit particularis, conclusio quoque erit particularis.

Hisce intellectis, ratio 1.mi casus est ipsum principium repugnantiae.

Ratio autem 2.i, quia secus aliquis terminus latius in conclusione pateret quam in praemissis. Nam vel utraque praemissa supponitur affirmans, vel alterutra tantum. Si 1.um eligitur, cum tunc ex hypothesi una ex praemissis sit *particularis* et *ambae affirmantes*, nonnisi una sedes generalis in praemissis aderit, quae necessario usurpabitur a medio termino. Proinde nulla alia generalis sedes supererit pro extremis: atqui ex lege 2.a sedes huiusm. universalis requireretur in praemissis, in qua subiectum conclusionis distribueretur, si conclusio esse debeat universalis, cum haec ex natura sua universale subiectum habeat; ergo etc. — Sin eligitur 2.um, tunc quidem in promptu erunt duae sedes generales, sed frustra iterum. Medius enim terminus tenebit unam; alia supererit: atqui non una sed duae omnino requirentur pro conclusione universali ex hypotesi, et negativa ex principio repugnantiae (quae conclusio generalis et negativa, tum praedicatum, tum subiectum universale habet): ergo semper deerit una sedes universalis; et hinc nihil concludi poterit.

Nota. Si loco propositionis particularis habeatur propositio singularis, exceptio non repugnabit.

Art. 5. *De quibusdam difficultatibus circa syllogismi leges occurrentibus.*

Diff.as circa 2.am

Solus Deus est aeternus: mundus non est Deus: ergo mundus non est aeternus.

In hoc syllogismo maius extremum *latius* patet in conclusione quam in praemissis, et tamen consequentia negari nequit. — Quid ergo?

R. Propositio maior est exclusiva: aequivalet ergo duabus, quarum altera affirmans est, altera negans; sed vis argumenti allati in negante constituitur. Sic ergo praemissae exponendae sunt:

Omne, quod non est Deus, *non est aeternum:* sed mundus est aliquid, quod non est Deus: ergo mundus non est aeternus.

Et ita maior, quae videbatur affirmans, revera est negans: minor vero, quae videbatur negans, affirmativa est.

Diff.as circa 4.am

Omne animal rationale est *homo: aliquis homo* agit irrationaliter: ergo aliquod animal rationale agit irrationaliter.

Hic syllogismus rite videtur concludere; et tamen medius terminus « homo » *bis particulariter* sumitur.

R. Concludit per accidens, sc. non vi formae, sed materiae. Patebit hoc si materiam ita mutaveris: omne animal rationale est *substantia: ali-*

qua substantia caret ratione: ergo aliquod animal rationale caret ratione: ubi conclusio absurda ex praemissis quoad se veris, patefacit vitium formae in syllogismo.

Diff.^{as} circa 7.^{am}

Tullius patriam servavit: Tullius mittitur in exilium: ergo qui patriam servavit, mittitur in exilium.

Estne recta isthaec conclusio? Nam neutra premissa est universalis.

R. Est recta, quia medius terminus Tullius, cum sit singularis, sumitur semper secundum totam extensionem, adeoque utraque praemissa aequiparatur universali.

Item.

Quidam numeri simul additi aequant numerum sexdecim:

Quidam numeri simul multiplicati aequant numerum sexdecim:

Ergo quidam numeri simul additi aequant quosdam numeros simul multiplicatos.

Concluditne hic syllogismus? Ratio dubii est, quia ambae praemissae sunt particulares.

R. In hoc syllogismo et similibus, apud mathematicos frequentissimis, deest *maior*, quae hoc principio continetur « quae sunt aequalia uni tertio, sunt aequalia inter se ». Quare syllogismus integer sic construitur:

Quae sunt aequalia uni tertio, sunt aequalia inter se:

Sed quidam numeri simul additi et quidam numeri simul multiplicati sunt aequales uni tertio, nempe numero sexdecim:

Ergo quidam numeri simul additi et quidam numeri simul multiplicati sunt aequales inter se.

EXEMPLA SYLLOGISMORUM PECCANTIUM CONTRA REGULAS.

Contra 1.am

— Lupus est *animal:* sed agnus est *animal:* ergo agnus est lupus. — In hoc syllogismo medius terminus *animal* usurpatur secundum binas particulares partes extensionis suae, seu non distribuitur; et hinc quatuor habentur termini.

— Omnis Leo est animal: sed haec statua est Leo: ergo haec statua est animal. — In hoc terminus aequivocus *Leo* usurpatur secundum diversas significationes, scilicet propriam, et metaphoricam; et hinc idem quod supra.

— Cicero est vox trium syllabarum: sed Cicero est Orator eloquentissimus: ergo vox trium syllabarum est Orator eloquentissimus. — In hoc terminus *Cicero* prius sumitur *secundum suppositionem materialem,* deinde secundum *suppositionem formalem.*

— Genus humanum est idea universalis: sed Adam fuit parens generis humani: ergo Adam fuit parens ideae universalis. — In hoc fit transitus *a suppositione logica ad realem.*

Contra 2.am

Omnis latro est *homo:* sed omnis latro noctu ambulat: ergo *omnis homo* noctu ambulat. — In hoc terminus *homo* latius patet in conclusione quam in praemissis.

Contra 4.[am]

Aliquis homo ambulat: sed *aliquis* homo est mortuus: ergo aliquis mortuus ambulat. — In hoc medius terminus *homo* bis particulariter sumitur.

Omne animal terrestre fuit conditum die sexta: sed canis meus est animal terrestre: ergo canis meus fuit conditus die sexta. — In hoc medius terminus *animal terrestre* sumitur *in maiori* distributione *incompleta*, idest quoad species tantum et non quoad individua; *in minori* vero distributione *completa*.

Contra 7.[am]

Quaedam virtutes sunt gratae hominibus: quaedam grata hominibus displicent Deo: ergo quaedam virtutes displicent Deo. — In hoc ambae praemissae sunt particulares.

Art. 6. *De syllogismi figuris.*

In syllogismo quovis, ut ex eius natura patet, binae praemissae habentur, in quibus medius terminus cum uno extremo coniungitur, cum alio autem coniungitur, vel ab eo separatur. At vero ex eiusdem natura minime determinatur, quem locum in utraque praemissa occupare medius terminus debeat, subiectine an praedicati; integra enim forma manente, potest utrumque contingere. Porro ex diversa ipsius medii termini collocatione syllogismi figurae oriuntur, de quibus proinde breviter agendum est.

Q. 1. Quid est syllogismi figura?

R. Syllogismi figura est dispositio medii cum extremis ad concludendum apta.

Q. 2. Quot syllogismi figurae numerantur?

R. Tot syllogismi figurae numerantur, quot sunt modi, quibus medius terminus cum extremis apte ad concludendum disponi potest. — At vero quatuor sunt hi modi; potest enim medius terminus 1.° esse *subiectum* in *maiori* et *praedicatum* in *minori;* et sic habetur 1.ª figura. Exemplum.

Fratres sunt diligendi; sed inimici sunt fratres: ergo inimici sunt diligendi.

2.° Potest esse *praedicatum* in *utraque* praemissa; et sic exurgit 2.ª figura. Exemplum.

Corpus non cogitat; sed mens cogitat: ergo mens non est corpus.

3.° Potest esse *subiectum* in *utraque* praemissa; unde oritur 3.ª figura. Exemplum.

Omnes impii sunt miseri: quidam impii sunt potentes: ergo quidam potentes sunt miseri.

4.° Potest esse *praedicatum in maiori, subiectum in minori;* cui respondet 4.ª figura, quae *Galenica* nuncupatur, quia a Galeno tribus praecedentibus addita fuit; et etiam dicitur *indirecta,* quia illationis termini non eumdem locum in ea occupant, quem occupabant in praemissis: qui enim in praemissis fuit praedicatum, fit subiectum in illatione et viceversa. Figura huiusmodi non est nisi prima indirecte concludens. Exemplum.

Omne rationale est liberum: homo est rationalis: ergo aliquod liberum est homo.

Tres primae figurae sequenti versiculo exprimuntur:

Sub prae prima, sed altera bis prae, tertia bis sub. — Sensus patet ex praedictis.

Q. 3. Quasnam regulas quaeque figura servare debet ut ad concludendum sit apta?

R. Ut quaeque figura ad concludendum sit apta, certas regulas servare debet, quae hisce versiculis comprehenduntur:

Pro fig. 1.ª Sit minor affirmans, maior vero generalis.
Pro » 2.ª Una negans esto, nec maior sit specialis.
Pro » 3.ª Sit minor affirmans, conclusio particularis.

Ratio est quia nisi tres dictae figurae has regulas rite servent, contra aliquam ex legibus syllogismi hoc ipso peccabunt.

Q. 4. Quomodo id ostenditur pro 1.ª figura?

R. In primis recole, in hac 1.ª figura *medium terminum* esse *subiectum* in *maiori* et *praedicatum* in *minori;* ideoque *maius* extremum esse *praedicatum* in *maiori* et *minus* extremum esse *subiectum* in *minori.* Hoc posito, in prima figura 1.° minor debet esse affirmans. Si enim non sit talis, erit negans: tunc autem negans quoque erit conclusio (ex lege 8.ª), et consequenter universale eius praedicatum. Atqui si ita est, nihil concluditur: nam vel praemissa maior est affirmativa, et tunc extremum maius (universale in concl.ᵉ neg.ª), quod in maiori praedicatum agit, non ibi sumitur universaliter, contra legem 2.ᵃᵐ; vel maior est negativa, et nihil concluditur ex lege 5.ª

2.° Maior debet esse *universalis:* cum enim minor sit *affirmans,* medius terminus, qui in hac praedicatum agit, particulariter sumitur. Debet ergo (ex lege 4.ª) universaliter sumi in maiori. Sed in ea subiectum agit; et subiectum non sumitur uni-

versaliter, nisi in propositione universali; illud enim hanc facit talem: ergo.

Q. 5. Quomodo idipsum probatur pro 2.ª figura?

R. In 2.ª figura medius terminus in utraque praemissa *praedicatur:* ergo extremi in utraque *subiiciuntur.* Hoc posito, 1.° alterutra praemissa debet esse negans. Cum enim medius terminus sit in utraque praedicatum, si ambae sint affirmativae, nullibi uuiversaliter sumitur, contra legem 4.am; nam praedicatum propositionis affirmativae sumitur est particulariter.

2.° Maior debet esse universalis: nam si alterutra praemissa ex dictis debet esse negans, negans quoque erit conclusio, et hinc maius extremum universale: sed est subiectum maioris in hac figura: ergo maior universalis esse debet.

Q. 6. Quomodo idem ostenditur pro 3.ª figura?

R. In 3.ª figura medius terminus *subiicitur* in utraque praemissa; ergo extremi in utraque praedicantur. Hoc posito, 1.° minor debet esse affirmans: eadem demonstratio ac in 1.ª figura, n. 1°.

2.° Conclusio debet esse particularis; nam in minori, quae ex dictis affirmans sit oportet, minus extremum, quod in ea praedicatum agit, particulariter sumitur: sed hoc erit subiectum conclusionis: ergo in conclusione, non universaliter, sed particulariter accipiendum erit ex lege 2.ª; ideoque etiam conclusio erit particularis.

Nota. Quoad 4.am figuram, 1.° quando *maior* est *affirmativa*, minor semper erit *universalis:* 2.° quando *minor* est *affirmativa*, conclusio erit semper particularis: 3.° in modis negativis *maior*

erit semper universalis. — Quae tria praecepta simili fere ratione demonstrantur ac in prioribus figuris.

ART. 7. *De singularum figurarum modis.*

Q. 1. Quidnam est syllogismi modus, et quid differt a figura?

R. Modus syllogismi est *dispositio praemissarum* inter se secundum universalitatem et particularitatem, affirmationem et negationem (seu secundum quantitatem et qualitatem).

Differt autem modus in hoc a figura, quod haec respicit dispositionem *terminorum* in ratione *praedicati et subiecti,* modus vero dispositionem *propositionum praemissarum* secundum *quantitatem et qualitatem.*

Q. 2. Quot sunt modi syllogismorum?

R. Modi syllogismorum sunt quatuor et sexaginta numero. Revera quatuor sunt syllogismorum figurae, ut supra dictum est. In quaque autem figura sexdecim modi inveniuntur. — Si enim attenditur propositionum sola *qualitas,* quatuor modi exurgunt, prout vel utraque praemissa erit affirmativa, vel utraque negativa, vel affirmativa *maior,* et negans *minor*, aut viceversa affirmativa *minor* et negans *maior.* — Si vero earum insuper attenditur quantitas, singuli praedicti modi quadrifariam variari possunt; prout vel utraque sit particularis, vel universalis maior et particularis minor, aut etiam universalis minor et maior particularis. Atqui sexdecim quater ducta aequant sexaginta quatuor: ergo.

Q. 3. Suntne isti omnes modi ad concludendum apti?

R. Non omnes praedicti modi sunt apti ad concludendum, sed novemdecim tantum; quippe ceteri contra communes peccant syllogismi leges.

Q. 4. Quotnam modos ex novemdecim aptis ad concludendum sibi vindicat quaeque figura?

R. Ex novemdecim aptis ad concludendum quatuor sibi vindicat 1.ª figura (directa); quatuor 2.ª; sex 3.ª; et quinque 4.ª, vel Galenica, seu 1.ª indirecta: qui omnes modi hisce versiculis exprimuntur:

F. 1.ª Barbara, Celarent, Darii, Ferio (Indir.ª) Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

F. 2.ª Cesare, Camestres, Festino, Baroco (f. 3.ª) Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Nota. — Quaeque vox exprimit syllogismum *ope trium vocalium*, quae in *primis tribus syllabis* inveniuntur (recole quae dicta sunt de significatione vocalium A, E, I, O). Trium ergo priorum syllabarum habenda tantum est ratio.

Art. 8. *De syllogismo composito.*

Q. 1. Quinam syllogismus dicitur compositus?

R. Quemadmodum syllogismus simplex dicitur ille, qui simplicibus propositionibus constat, ita compositus syllogismus est, qui constat propositionibus compositis.

Q. 2. Quotuplex est syllogismus compositus?

R. Syllogismus compositus triplex est, nempe conditionalis, disiunctivus et copulativus.

§. 1. *De syllogismo conditionali.*

Q. 1. Quinam est syllogismus conditionalis?

R. Syllogismus conditionalis, qui etiam dicitur hypotheticus, est qui utramque, vel alterutram praemissam habet conditionalem, ut: si illuxit, solis ortus propinquat; atqui illuxit: ergo solis ortus propinquat.

Q. 2. Quotupliciter vere argui potest in hoc syllogismo?

R. In hoc syllogismo dupliciter argui recte potest; nempe 1.° ex *positione antecedentis* ad *positionem consequentis*, ut: si loquitur, vivit; sed loquitur: ergo vivit: — 2.° ex *negatione consequentis* ad *negationem antecedentis*, ut: si dies est, lucet: atqui *non* lucet: ergo non est dies. — Ratio autem 1.i est quia si nexus adest inter membra propositionis conditionalis, profecto conditionis veritate posita, conditionati quoque veritas constet necesse est. Ratio vero 2.i est, quod si posita conditione verum est illico poni conditionatum, procul dubio si conditionatum desideratur, inferri debet conditionem non esse positam.

Q. 3. Quomodo falso argueretur in hoc syllogismo?

R. Falso argueretur in hoc syllogismo, cum ex *falsitate antecedentis* inferretur *falsitas consequentis*, ut: si currit, movetur; atqui non currit: ergo non movetur: — vel cum ex *veritate consequentis* inferretur veritas antecedentis, ut: si currit, movetur; sed movetur: ergo currit. — Ratio

horum est, quia *antecedens* propositionis hypotheticae semper includit consequens, sed non vicissim consequens includit antecedens.

§. 2. *De syllogismo disiunctivo et copulativo.*

Q. 1. Quinam dicitur syllogismus disiunctivus?

R. Syllogismus disiunctivus dicitur ille, qui praemissam aliquam disiunctivam continet, et ex ipsa per exclusionem ceterarum partium, quae distribuuntur, infertur pars relicta, ut: vel degis in Europa, vel in Africa; sed non in Africa: ergo in Europa. — In hac syllogismorum specie cavendum est ne sit manca divisio partium, quae numerantur: secus negatione divisionis ipsius eluditur argumentum.

Q. 2. Quinam est syllogismus copulativus, et quomodo rite arguitur in hoc syllogismorum genere?

R. Syllogismus copulativus ille est, qui una saltem praemissa copulativa constat.

In hoc autem syllogismorum genere rite arguitur a *positione* unius partis ad *negationem* alterius; non vero a *negatione* unius ad alterius positionem. — Ratio est quia hic stricte pro syllogismo copulativo intelligitur syllogismus, cuius maior est copulativa *negans;* tunc enim solum habet peculiarem regulam. Porro copulativa negans pronuntiat, duo aut plura praedicata non posse simul de eodem subiecto praedicari, quin tamen unum ex iis necessario praedicari asserat; hinc igitur si unum affirmetur, cetera negare oportet, sed non

viceversa (et per hoc copulativus discriminatur a disiunctivo). Sic rite dices: Nemo potest servire Deo et mammonae; sed multi serviunt mammonae: ergo multi non serviunt Deo. — Contra falso argueretur sic: nemo potest servire Deo et mammonae; sed multi *non* serviunt mammonae: ergo serviunt Deo; possunt enim aliis multis foedari vitiis.

Nota. Generalis regula ad sciendum utrum syllogismi compositi veram habeant illationem, est eos in simplices reducere; quae reductio admodum facilis est: nam duo extremi termini inveniuntur in conclusione, medius autem secernitur in praemissis: atqui vix cognitis syllogismi tribus terminis, nullo negotio syllogismus ipse conficitur. — Sit in exemplum iste conditionalis. Si Deus est justus, virtutem remunerabit; sed Deus est justus: ergo Deus virtutem remunerabit. Vertitur ita: ens justum virtutem remunerabit; sed Deus est ens justum: ergo Deus etc.

Art. 9. *De syllogismo complexo et expositorio.*

Q. 1. Quinam est syllogismus complexus?

R. Syllogismus complexus qui peculiares requirit regulas, non est omnis ille qui complexum terminum habet (id enim syllogismi simplicitati non officit, dummodo medius in unaquaque praemissa jungatur cum unoquoque extremo solo et integro), sed ille est, cuius conclusio aliquem complexum includit terminum qui non integer invenitur in altera praemissarum, aut etiam ille cuius conclusio continet propositionem incidentem, quae tamen apparet tamquam principalis.

Cum ergo terminus aliquis conclusionis non integer invenitur in unaquaque praemissa, aut quando conclusio illius naturae est, quam supra descripsimus, id signum est, syllogismum expositione indigere.

Exemplum 1.[i] generis. Christus est Deus: porro Maria est mater Christi: ergo Maria est mater Dei. — In hisce casibus syllogismus complexus ad formam simplicis reducitur ponendo unumquemque extremum integrum in unaquaque praemissa: v. gr. sic: Mater Christi est mater Dei; sed Maria est mater Christi: ergo Maria est mater Dei.

Exemplum 2.[i] generis. Lex evangelica praecipit ut diligamus proximos: sed inimici sunt proximi: ergo lex evangelica praecipit ut diligamus inimicos. — In his casibus, incidens propositio seiungenda est, ita ut fiat mera probatio unius praemissarum: v. gr. sic: Proximi sunt diligendi; *id enim praecipit lex evangelica;* sed inimici sunt proximi: ergo inimici sunt diligendi.

Q. 2. Quinam est syllogismus expositorius?

R. Syllogismus expositorius est ille, qui constat aut omnibus terminis singularibus, aut medio saltem singulari, ut: Alexander vicit Persas; sed Alexander fuit filius Philippi: ergo filius Philippi vicit Persas.

Syllogismus expositorius iisdem legibus subiicitur ac syllogismus communis, cum proportione tamen, quae facilius ex sensu ipsius propositionis, quam ex praeceptis judicabitur. — Sic syllogismus allatus fuit legitimus, quia Philippus unicum filium habuit: si plures habuisset, tunc in illatione, non

filius Philippi, sed *aliquis* filius Philippi dici debuisset.

Art. 10. *De fallaciis.*

Q. 1. Quid sunt fallaciae?

R. Fallaciae sunt vitia argumentationis, quibus syllogismus in sophysma vel paralogismum convertitur.

Q. *2.* Quotuplici ex capite syllogismus in sophysma degenerare potest?

R. Syllogismus in sophysma degenerare potest triplici ex capite, sc. ex parte formae, ex parte vocum et ex parte rerum.

At vero circa fallaciam formae nihil hic dicendum occurrit, cum ad hanc detegendam eorum reminisci sufficiat, quae supra de regulis syllogismi tradita sunt; et haec tamen est communior fallacia. De fallaciis itaque vocum et rerum pauca hoc loco dicenda supersunt.

§ 1. *De fallaciis vocum.*

Q. U. Quandonam habetur fallacia vocum?

R. Fallacia vocum tunc habetur, cum quis vocibus abutitur ut decipiat, easque usurpat in sensu fallaci.

Sunt autem quinque praesertim modi fallendi in vocibus. Primus est aequivocatio; quae habetur, cum quis in argumento utitur voce aequivoca: v. gr. si quis arguat: Aries est animal; sed machina

bellica est Aries: ergo machina bellica est animal. Etenim nomen *aries* aequivoce sumitur pro animali et pro machina bellica.

— Secundus modus est amphibologia, quae habetur cum quis utitur phrasi ancipitis sensus, ut saepe solebant antiqua gentilium oracula. Sic Pyrro quaerenti, an Romanos superare posset, respondit oraculum: aio, te Eacida Romanos vincere posse.

Tertius modus est fallacia sensus compositi et divisi; cum sc. quis arguit a sensu composito ad divisum, vel viceversa, ut: qui habet potentiam ambulandi, potest de facto ambulare: sed Petrus sedendo habet potentiam ambulandi: ergo Petrus sedendo potest de facto ambulare.

Quartus modus est fallacia accentus; et habetur cum quis voce utitur ex diversitate accentus sensum variante, ut: qui occidit, moritur; sed gladius occidit: ergo gladius moritur.

Quintus modus est fallacia figurae dictionis; quae habetur cum ex identitate rei fit transitus ad identitatem qualitatis; et quia res, diverso modo se habens et sub diverso respectu sumpta, eadem dictione nominatur, perinde arguitur ac si eodem modo et sub eodem respectu acciperetur, ut: ille sepultus est hodie, qui nudius tertius loquebatur tecum: sed is erat homo vivens: ergo sepultus est homo vivens. — Dissolvitur reponendo illum eumdem, sed non eodem modo se habentem etc.

§ 2. *De fallaciis rerum.*

Q. U. Quot in rebus fallaciae contingere possunt?

R. Plures in rebus fallaciae contingere possunt; septem vero praecipuae numerantur.

Prima est fallacia *antecedentis seu praedicati,* quando sc. praedicatum variat *suppositionem,* ut si quis dicat: animal est genus; sed homo est animal: ergo homo est genus.

Secunda fallacia est *a simpliciter ad secundum quid,* et viceversa; cum sc. quis arguit ab eo quod est verum *simpliciter,* ad verum *secundum quid,* ut: arma sunt restituenda domino; sed hic furibundus est dominus talium armorum: ergo isti furibundo sunt restituenda. — Quamvis enim *maior* sit vera simpliciter, non est tamen vera secundum quid, nimirum licet arma sint absolute restituenda domino, non tamen in aliquo casu, si nempe sit furibundus.

Tertia est fallacia *contradictionis,* cum nempe infertur contradictio ubi nulla est, ut si quis dicat: aethiops est albus secundum dentes; sed non est albus secundum alia membra: ergo est albus et non albus.—Ubi tamen nulla habetur contradictio, quia non est albus et non albus secundum idem.

Quarta fallacia est *petitio principii,* cum quis scilicet aut arguendo aut respondendo assumit conclusionem probandam pro medio vel solutione; ut si quis ad probandum Deum esse in genere aliquo diceret: Deus est in praedicamento: ergo est in genere aliquo.

Quinta fallacia est *ignorantia elenchi seu argumentationis,* quae habetur cum quis extra controversiam evagatur, et demonstratione aliud evincit, quam quod in quaestione versatur.

Sexta fallacia est *non causae pro causa,* cum nempe quis tribuit effectum ei a quo non causatur, vel non causatur nisi partialiter, ut si quis dicat: inebriari est malum; sed vinum inebriat: ergo vinum est malum. — Ubi non vinum sed malus eius usus est causa ebrietatis.

Septima est fallacia *interrogationis,* cum nempe quis de oppositis simul interrogando, unam pro utroque responsionem elicit, ut si quis ita quaerat: virtus et iniquitas estne bona an mala? Si enim respondetur bona, inferet: ergo iniquitas est bona: sin vero respondeatur mala, inferet: ergo virtus est mala.

Art. 11. *De ceteris argumentandi generibus, quae facile ad syllogismum reducuntur, nempe de Enthimemate, Sorite, Epicheremate, Polysyllogismo et dilemmate.*

§ 1. *De Enthimemate.*

Q. 1. Quid est Enthimema?

R. Enthimema est argumentatio duabus coalescens propositionibus, quarum una infertur ex alia, ut: animus humanus est spiritualis: ergo immortalis.

Q. 2. Quibusnam legibus regitur enthimema?

R. Enthimema iisdem legibus regitur ac syllogismus; quamvis enim tria per voces non prodeant judicia, nihilominus in mente eliciuntur.

Q. 3. Quaenam ex praemissis in enthimemate reticeri potest, et quomodo dignoscitur quaenam e duabus omissa fuerit?

R. Praemissa, quae in enthimemate reticetur, potest esse tum maior, tum minor. Facile autem deprehenditur quaenam sit, si notetur quodnam e duobus extremis in antecedente enthimematis reperiatur. Si enim in antecedente adest extremum maius, propositio suppressa erit minor; sin vero extremum minus, omissa erit maior. — Quod si neutrum extremorum in antecedente reperiatur, id signum erit, integrum syllogismum esse hypotheticum; qualis est iste: sol quiescit: ergo terra movetur; sic enim exponitur: si sol quiescit, terra movetur; sed sol quiescit: ergo terra movetur.

§. 2. *De Sorite.*

Q. 1. Quid est sorites?

R. Sorites seu acervalis, est argumentatio pluribus propositionibus ita constans, ut semper praedicatum praecedentis fiat subiectum sequentis, donec formetur conclusio, in qua subiectum primae propositionis cum praedicato ultimae copuletur, ut:

A B
Qui cupiditates suas non coercet, multa desiderat;
B C C
qui multa desiderat, multis eget; qui multis eget,

D D X

inquietus vivit; qui inquietus vivit, miser est; ergo

A X

qui cupiditates suas non coercet, miser est. Seu generaliter: A est B; B est C; C est D; D est X: ergo A est X.

Q. 2. Quid in usu soritis praecipue cavendum est?

R. In usu soritis cavendum est 1.° ne praedicatum propositionis praecedentis, dum evadit subiectum sequentis, aliquantulum immutetur: 2.° ne aliqua propositio falsa vel ambigua intermisceatur: 3.° ne solis constet propositionibus negativis.

Q. 3. Quo pacto sorites resolvitur in syllogismum?

R. Sorites resolvitur in syllogismum sequenti methodo:

B est C. Qui multa desiderat, multis eget;
A est B. Sed qui cupiditates suas non coercet, multa desiderat:
A est C. Ergo qui cupiditates suas non coercet, multis eget.

C. est D. Qui multis eget, inquietus vivit;
A est C. Sed qui cupiditates suas non coercet, multis eget.
A est D. Ergo qui cupiditates suas non coercet, inquietus vivit.

D est X. Qui inquietus vivit, miser est:
A est D. Sed qui cupiditates suas non coercet, inquietus vivit:

A est X. Ergo qui cupiditates suas non coercet, miser est.

§. 3. *De Epicheremate.*

Q. U. Quid est Epicherema?

R. Epicherema est syllogismus, cuius vel alterutri vel utrique praemissae probatio adiungitur. — Exemplum. Omne ens simplex est incorruptibile; non enim habet partes, in quas resolvi possit; sed animus humanus est simplex; nam impossibile est ut compositum cogitet: ergo animus humanus est incorruptibilis. — Haec argumentatio, ut patet, in tres syllogismos resolvitur, et ideo iisdem legibus regitur ac syllogismus.

§. 4. *De Polysyllogismo.*

Q. U. Quid est polysyllogismus?

R. Polysyllogismus est argumentatio, in qua uni completo syllogismo alter ita subnectitur, ut conclusio praecedentis fiat praemissa sequentis. — Exemplum. Quod est simplex non habet partes; sed anima humana est simplex: ergo anima humana non habet partes; sed quod non habet partes, est indivisibile: ergo anima humana est indivisibilis. Argumentatio huiusmodi evidenter non est nisi multiplex syllogismus.

§. 5. *De Dilemmate.*

Q. 1. Quid est dilemma?

R. Dilemma (quod ad syllogismum disiuncti-

vum reduci potest) est argumentatio ita bifariam distributa, ut *utraque* eius pars assumatur et ad concludendum adhibeatur, ut illud Tertulliani: vel nocentes sunt christiani vel innocentes; si nocentes, cur inquiri prohibes? si innocentes, cur delatis poenam irrogas?

Differt tamen a syllogismo disiunctivo in hoc quod in disiunctivo una tantum pars disiunctionis assumitur ad probandum, utraque vero in dilemmate.

Q. 2. Quid in dilemmatis usu cavendum est?

R. Haec duo in dilemmatis usu cavenda sunt; nimirum 1.° ne divisio sit manca, seu ne detur quid tertium inter partes distributionis; secus enim adversario pateret effugium: 2.° ne possit retorqueri in ipsum qui eo utitur.

Art. 12. *De Inductione.*

Q. 1. Quid est inductio?

R. Inductio est argumentatio, qua de subiecto universali concludimus id, quod, docente experientia, de inferioribus eius singillatim affirmavimus vel negavimus. V. gr. cum singillatim haec et haec corpora gravitate donari conspicimus, id de omnibus corporibus generatim affirmandum esse deducimus. — Seu aliter, est argumentatio, qua mens infert aliquod iudicium universale ab alio universaliori (quod communiter subauditur), mediante consideratione particularium.

Q. 2. Quotuplex est inductio?

R. Inductio est duplex, alia completa, alia in-

completa. Completa ea est, quae individua singula enumerat; incompleta, quae non omnia numerare potest, sed nititur experimento tantum vel observatione nonnullorum.

Q. 3. Quodnam est judicium illud universalius, quod, si non exprimitur, semper subauditur pro inductione completa, et quomodo inductio huiusmodi ad syllogismi formam reducitur?

R. Iudicium illud universalius, quod est generalis formula et fundamentum inductionis completae, sic exprimitur: id, quod est, vel non est praedicatum *omnium* particularium, est, vel non est praedicatum universalis: v. gr. infantili, adolescenti, juvenili, senili, decrepita aetate homo vexatur malis: ergo *omni* aetate homo vexatur malis.

Quam quidem conclusionem generat iste processus. Quod de omnibus particularibus praedicatur, praedicari debet de universali; sed de omnibus particularibus aetatibus, nempe de infantili, adolescenti etc. praedicatur quod vexantur malis: ergo de omni aetate idem praedicandum est.

Nota. Formula haec valet dumtaxat pro inductione completa, pro casu nempe quo fiat observatio et enumeratio omnium particularium (quod quidem raro admodum est possibile); non autem pro inductione incompleta, sc. cum non omnes sed plures tantum casus observantur aut experimento subduntur.

Q. 4. Quaenam igitur alia formula assumenda erit pro inductione incompleta?

R. Formula quae latius patet et praefatam supplet, ac pro inductione incompleta valet, sic

exprimitur: id, quod est, vel non est praedicatum *constans et uniforme* plurium (licet cetera non fuerint explorata) particularium, est, vel non est praedicatum universalis.

Q. 5. Estne huiusm. universalior formula obiective vera; et, quatenus affirmative, quo pacto jus praebet deducendi conclusionem *universalem* ex enumeratione *incompleta* particularium?

R. Formula huiusm. universalior est imprimis obiective vera. Nam ex una parte, ut ex inspectione formulae quisque novit, agitur hic de praedicato quod particularibus convenit *constanter et uniformiter*; seu quod vi sumptae experientiae, variatis licet opportune adiunctis, et experimentis aut observationibus rite iteratis, inventum est non varie et ambigue sed eadem semper constantia particularibus usquedum recognitis tribuendum; ex alia vero praedicatum aliquod fieri potest ut congruat particularibus vel vi alicuius influxus externi, v. gr. loci, situs, temporis, agentium circumstantium, vel vi eorumdem qualitatum individualium, vel vi illorum naturæ aut proprietatis specificæ. Atqui prædicatum quod particularibus convenit *constanter etuniformiter,* nequit 1° ipsis congruere vi alicuius influxus externi, aut vi eorumdem qualitatum individualium, sed, 2° vi eorum naturae aut proprietatis specificae convenire debet; quo in casu omnibus et singulis eiusdem naturae erit tribuendum (prout fert formula allata), et ceteris etiam particularibus, etsi non exploratis, necessario applicandum: ergo.

Et probatur 1ª pars. Quidquid fit causam habet et quidem proportionatam: ergo in casu nostro

praedicatum, de quo agitur, cum sit ex hypothesi effectus *constans et uniformis,* subaudit in particularibus quibus tribuitur, causam seu subiectum *constans et uniforme.* Atqui causa eiusmodi sc. *constans et uniformis,* non est 1° influxus externus; nam situs v. gr., tempus, agentia circumstantia, non eadem ubique sunt aut permanent — et insuper sic experimenta rite variari possunt aut observationes iterari, ut causae exteriores et accidentales, quae forte effectum comitabantur, removeantur vel varientur assidue, ita ut effectus, qui idem semper remanet, dignoscatur non esse ab ipsis: item 2° nec sunt causa constans et uniformis qualitates individuales particularium, quae, utpote propriae individuorum, cum individuis ipsis continuo variantur: ergo.

Probatur 2ª pars. Dictum est supra, quemcumque effectum causam requirere necessario et quidem proportionatam. Ergo in praesenti casu praedicatum, de quo agitur, utpote effectus constans et uniformis, subaudit in particularibus, quibus vi sumptae experientiae tribuitur, causam vel subiectum constans et uniforme. Sed in particularibus nil vere constans et uniforme est, nisi eorum natura aut proprietas specifica: ergo praedicatum *constans et uniforme* nequit ipsis congruere nisi vi eorum naturae, aut specificae proprietatis. Atqui si praedicatum aliquod competit particularibus vi eorum naturae aut specificae proprietatis, hoc ipso competere debet omnibus entibus eiusdem naturae et speciei: nam natura (eadem in omnibus) tunc est in iis causa eiusm. praedicati, et evidenter « *eaedem*

causae physicae eosdem semper producunt effectus»: ergo.

Idem dic de praedicato seu de effectu, qui ex observationum vel experimentorum iteratione consimili processu colligi potuerit, non ex causa aliqua varia et accidentali, sed ex hac vel illa naturae lege derivari. *Naturae leges sunt constantes*: ergo effectus ille in casibus omnibus eiusdem speciei semper idem expectandus erit.

Et hinc habes quo pacto processus huiusm. ius faciat deducendi conclusionem universalem ex enumeratione, licet incompleta, particularium. Nempe mediante experientia et principio causalitatis, ascenditur ad secernendam causam praedicati alicuius constantis et uniformis in particularibus, in ipsa eorum natura aut specifica proprietate: hoc posito, cum eadem sit communis toti speciei aut generi, idest universalis, mediante alio principio « *causae naturales eosdem semper producunt effectus*, vel *leges naturae sunt constantes* » generalis conclusio ex eo processu legitime infertur; sc. praedicatum illud *omnibus* particularibus eiusdem naturae esse applicandum.

Q. 6. Quaenam, ad praxim quod attinet, rite observanda sunt ut vera causa alicuius phaenomeni dignoscatur?

R. Praeter variationes adiunctorum, de quibus supra, et iterationes experimentorum vel observationum, haec imprimis regula generalis statuenda est, eam scilicet esse causam alicuius phaenomeni, quae si adest, effectus adest; si demitur, effectus demitur; si crescit, crescit effectus, et si minuitur, effectus simul minuitur.

Et hic obiter nota quod experimentum ab observatione differt in hoc, quod illud habetur cum factum, cuius experientiam sumere volumus, consilio quaeritur, idest industria nostra producitur; haec vero, sc. observatio, cum factum ultro se offert, et a nostra industria non dependet.

Q. 7. Quo pacto inductio incompleta fit temeraria et ad concludendum impar?

R. Inductio incompleta fit temeraria et ad concludendum impar, aut saltem non praebet nisi conclusionem probabilem, cum pauciores casus quam par sit, observantur vel observari possunt, et ex iis praepropere concluditur de omnibus. Casuum autem observandorum numerus ex materia, de qua agitur, prudenter determinandus est; quo enim simplicior, vel contra magis complexa erit, minorem vel maiorem numerum experimentorum aut observationum requiret, ut per se patet.

Q. 8. Quid differt inductio incompleta a syllogismo?

R. Inductio incompleta a syllogismo non differt quoad formam nisi quod non uno, sed triplici syllogismo continetur; ut videre est in sequenti processu, qui totam simul doctrinam de incompleta inductione complectitur.

1us
Effectus qui, licet variatis adiunctis, est constans et uniformis, a causa provenit constanti et uniformi;
Sed effectus, quem animadverti in his individuis, variatis licet adiunctis, est constans et uniformis:
Ergo a causa provenit constanti et uniformi.

2us { Quod a causa provenit constanti et uniformi, ab individuorum natura provenit;
Sed effectus ille a causa provenit constanti et uniformi:
Ergo ab individuorum natura provenit.

3us { Quod a natura quorumdam individuorum provenit, commune est omnibus individuis eiusdem naturae;
Sed effectus ille ab eorum individuorum natura provenit:
Ergo communis est omnibus individuis eiusdem naturae.

Appendix 1ª. *De scientifica concertatione.*

Q. 1. Quid est concertatio scientifica?

R. Concertatio scientifica est duorum disputatio, quorum alter statutae propositionis veritatem impugnat, alter vero tuetur. — Qui veritatem propositionis tuetur, *defendens;* qui contra eius veritatem impugnat, *arguens* nominatur.

Q. 2. Quemnam finem sibi praescribit huiusm. concertatio?

R. Finis huiusm. concertationis est ut veritas investigetur, vel ut refutetur error, vel etiam ut de alicuius ingenio aut doctrina experimentum sumatur: item colitur ut mentis vires agone et lucta roborentur. Utilitas huiusm. concertationis est sane maxima, ubi recto animo fiat et justa exigatur methodo certisque legibus.

Q. 3. Quotuplex forma existit disputationis scientificae?

R. Disputationis scientificae triplex existit forma;

nempe *communis, socratica et syllogistica.* — Communis est quae liberum omnino sequitur disserendi modum, ut in sermocinatione communi fieri solet.

Socratica sic appellata, quia Socrati in deliciis fuit, ea est quae interrogationibus artificiose excogitatis ac apte sibi succedentibus, quasi adversarium consulens, ipsum expugnat; idest quatenus paullatim et per gradus, nec opinantem, eo illum adducit ut cogatur fateri assertionis, quam antea negabat, veritatem; aut etiam ut secum ipse pugnans deprehendatur, et ita opinionis suae falsitatem, velit nolit, agnoscat.

Syllogistica, quae vocatur etiam scholastica, quia apud scholasticos maxime viguit, est quae argumentationem omnem severa syllogismi aut enthimematis forma perpetuo constringit; quin tamen excludat, ubi opus sit, praevias interrogationes, quibus via atque aditus ad argumenta sternatur, aut etiam expolitionem, liberiori oratione, propositionum quarumdam seu argumentationum ipsa syllogistica argumentatione peracta.

Omissis hic duabus prioribus disputationis formis, de tertia, nempe de disputatione syllogistica, aliqua a nobis dicenda sunt; et 1° agemus de munere *defendentis*; 2° de munere *arguentis.*

§. 1. *De munere defendentis in syllogistica disputatione.*

Q. 1. Quodnam est in syllogistica disputatione munus defendentis?

R. Defendens in syllogistica disputatione, audito

opponentis argumento, totum semel repetere debet fidelissime, nullis additis animadversionibus: deinde eiusdem munus est ad argumenti initium regredi, et de argumento toto ac de singulis propositionibus judicare.

Q. 2. Quid ipsi agendum erit, si in argumento *consequentia* desideretur?

R. Si in argumento consequentia desideretur, defendens omittat ferre judicium de præmissis, et *consequentiam* neget.

Q. 3. Quid vero si *forma* sit recta?

R. Si forma recta sit, defendens judicet de singulis propositionibus; veras concedat, falsas neget, nec addat rationes assensus vel negationis; nam onus probandi incumbit adversario: eas tandem, quæ non sunt ad rem, transmittat, vel permittat ut assumantur tamquam concessae.

Q. 4. Quid si occurrat propositio ambigua, seu partim vera, partim falsa?

R. Si propositio occurrat ambigua, eam defendens *distinguat*, et sensum propositionis verum concedat, ac neget falsum. — Quod si unum aut alterum distinctionis membrum aliquam ambiguitatem adhuc offerat, adhibeat *subdistinctionem.* — Datam vero distinctionem declarare debet, si opus sit, et adversarii interrogationibus respondere.

Q. 5. Distinctio, ubi occurrit, debetne semper eodem fieri modo?

R. Distinctio, ubi occurrit, diversimode applicari debet iuxta diversitatem terminorum, in quibus latet ambiguitas: haec vero tum in *medio termino,* tum in *extremorum altero* latere potest.

Itaque 1° si ambiguitas lateat in *medio termino*, distinguenda est tum *maior*, tum *minor* praemissa, quia *medius terminus* in utraque redit. — Ita vero applicanda est ut quae pars conceditur in maiori, negetur in minori, et viceversa. — Exemplum. Idea quae dicitur de multis, est universalis; sed idea collectiva dicitur de multis: ergo idea collectiva est universalis. — Medius terminus est « idea quae dicitur de multis » et in eo latet ambiguitas. Sic ergo respondebis:

D. M. Idea quae dicitur de multis *distributive* est universalis, c. M.; quae dicitur de multis *simul sumptis,* n. M.

Atqui idea collectiva dicitur de multis, contrad. m.; dicitur de multis simul sumptis, c. m.: dicitur de multis distributive, n. m.; ergo etc. n. consequentiam.

2.° Si autem ambiguitas haereat alteri extremorum, cum terminus extremus sedem habeat in altera ex praemissis et in conclusione, tunc distincta praemissa, in qua ille terminus sedem habet, eodem modo erit distinguenda conclusio.

Consequentia vero absolute neganda non est, sed concedenda secundum eum conclusionis sensum, qui conceditur, et neganda secundum eum, qui negatur.

Exemplum. Actus quem voluntas impedire potest, non est necessarius; sed assensus legitimae conclusioni est actus, quem voluntas impedire potest: ergo assensus legitimae conclusioni non est necessarius. — Ambiguitas latet in extremo minori; hinc respondebis.

C. M. — D. m. *Assensus legitimae conclusioni* est actus quem voluntas impedire potest, quando veritas praemissarum est dubia, c. m.; quando est manifesta, n. m. — Eodem modo distinguitur consequens.

Q. 6. Subdistinctio, ubi occurrit, caditne semper in illum ipsum terminum, in quem cadit distinctio, an secus?

R. Subdistinctio, ubi occurrit, non semper in illum ipsum terminum cadit, iu quem cadit distinctio, sed modo in ipsum, modo in alium. — Quod postremum si contingat, distinctio prima applicanda erit ubi redit primus terminus, secunda ubi redit alter. Exemplum.

Quod constat ex pluribus, potest dividi in partes; sed anima humana constat ex pluribus gradibus entitatis: ergo potest dividi in partes. — Respondebis:

D. M. Quod constat ex pluribus reipsa distinctis, potest dividi in partes, c. M.; quod constat ex pluribus distinctis tantum virtualiter, potest dividi in partes, subd. M.; potest dividi in partes metaphysicas, c. M.; in partes physicas, n. M.

Et contradist. m. Anima humana constat ex pluribus gradibus entitatis virtualiter tantum distinctis, c. m.; reipsa distinctis, n. m. (en distinctio).

Et dist. consequens. Anima humana potest dividi in partes metaphysica, c. cons.ns; in partes physicas, n. cons.ns et consequentiam. (en subdistinctio).

Q. 7. Quid si arguens aliquid aperte vel occulte

supponat et assumat tamquam conveniens subiecto, quod non sit tale?

R. Respondendum est tunc negando *suppositum.* Ut si quis dicat: Deus, quum esse coepit, fuit infinitus; vel: circulus quadratus est maximum miraculorum: negatur suppositum in utroque casu.

§. 2. *De munere arguentis.*

Q. 1. Quodnam est arguentis munus?

R. Arguens, probe apud se determinato quaestionis statu, argumentum ita debet proponere, ut eius conclusio sit propositae theseos *contradictoria.* Si tamen veritas id postulet, nihil vetat quominus arguens *contrariam* opponat.

Q. 2. Si defendens argumenti oppositi ab arguente consequentiam, vel aliquam propositionem neget, quid ipsi arguenti agendum erit?

R. Si defendens neget consequentiam vel aliquam propositionem, arguens consequentiam ipsam, vel propositionem negatam, probare tenebitur; onus enim probandi non defendenti, ut dictum est, sed arguenti incumbit.

Q. 3. Quid si defendens distinctionem adhibeat?

R. Si defendens distinctionem adhibeat, tunc arguentis erit instaurare argumentum; qua in re eius perspicacitas potissimum clarere debebit.

Q. 4. Quonam igitur pacto argumenti instauratio fieri poterit?

R. Triplici modo argumenti instauratio fieri poterit; nempe 1° impugnando distinctionem ipsam,

seu negando eam in casu habere locum, vel quia non adsit ambiguitas, vel quia conclusio sequatur, quomodolibet accipiatur propositio distincta. — Sic in distinctionem supra peractam hoc modo insurgere poteris: Atqui sive veritas praemissarum sit dubia, sive sit manifesta, assensus tamen legitimae conclusioni a voluntate impediri potest: ergo nulla distinctio. — (Antecedens huius argumenti dicitur *subsumptum)*.

Secundo modo fieri instauratio potest impugnando distinctionis applicationem, ostendendo scilicet partem negatam esse veram; ita ut quamvis distinctio in se subsistat, frustra tamen argumento applicetur. — Sic dices in eodem exemplo: Atqui assensus legitimae conclusioni a voluntate impediri potest etiam cum praemissarum veritas est manifesta: ergo *stat difficultas.*

Tertio modo fieri potest instauratio *probando consequentiam*: quod fit ostendendo conclusionem bene fluere ex parte concessa ab adversario. — Sic ergo dices: Atqui si assensus potest impediri quando veritas praemissarum est dubia, nunquam est necessarius: ergo stat consequentia. — Vel aliter: probo conseq^{am}. Assensus legitimae conclusioni est per te necessarius, quando veritas praemissarum est dubia:

Atqui veritas praemissarum semper est dubia: ergo nunquam assensus est necessarius.

Nota 1. Si defendens disiunctivam neget, licebit arguenti petere ab adversario, ut assignet membrum disiunctive addendum ad enumerationem complendam; quod exprimitur dicendo: *peto medium.*

Nota 2. Si defendens neget conclusionem universalem, inductionis ope collectam, arguenti fas erit petere ut defendens afferat aliquid, ad quod ea conclusio non se porrigat; quod exprimitur dicendo: *peto instantiam.*

Nota 3. Post secundam distinctionem argumenta, quae forte supersunt, extra formam stricte syllogisticam exponi solent.

APPENDIX 2.ª *De inventione medii.*

Cum ratiocinationis instituendae difficultas fere tota in inventione medii sita sit (eo enim dato, nullo negotio instruitur argumentatio per eius comparationem cum extremis); hinc inquirendum remanet, an per praecepta logica illius inveniendi facilitas acquiri possit; et quatenus negative, quid ex iis ad rem obtinere liceat.

Q. 1. Potestne igitur facilitas inveniendi medii termini per logica praecepta conquiri?

R. Facilitas medii termini inveniendi per praecepta logica conquiri nequit; ipsa enim ex peritia pendet singularum scientiarum, in quibus ratiocinatio instituitur. — Quare id doceri tantum potest, quomodo generatim se habere debeat medius terminus quoad extremos, nempe terminos illationis, propter quos uniendos vel separandos flagitatur.

At vero hic statim notare juvat, non totidem regulas medii termini inveniendi, quot sunt modi argumentationis, tradendas esse. — Quadruplex

enim illatio datur, sc. aut universalis aut particularis, et in utroque casu aut affirmativa aut negativa; ad quas illationes deducendas novemdecim suppetunt syllogismi modi, ut dictum est. Atqui ex iis priores quatuor tantum considerandi sunt; tum quia ad eos ceteri reducuntur, ut ex praedictis patet, tum quia eorum solum est usus in ratiocinando. — Insuper ex hisce quatuor duo posteriores, nempe *Darii* et *Ferio* hoc loco negligi impune possunt, cum illationem particularem contineant, quae proprie ad scientiam non pertinet et consequitur ex universali. — Restat ergo ut considerentur primi duo, *Barbara* nempe et *celarent*, quorum alter universali affirmativa, alter universali negativa concludit; quorumque medii termini pro ceteris omnibus ratiocinandi modis sunt opportuni.

Q. 2. Quaenam ergo regula statuenda est pro inventione medii ad ratiocinandum in *Barbara*?

R. Ad ratiocinandum in *Barbara*, seu ad probandam propositionem universalem affirmativam, quaerendus est medius, qui subiiciatur universaliter praedicato propositionis, et praedicetur universaliter de eius subiecto.

Cuius regulae ratio est, quia in propositione *universali affirmativa* praedicatum dicitur esse in subiecto. Atqui non est in eo immediate; secus, subiecto cognito, videretur in ipso: ergo alio mediante termino, qui sit ipse immediate in subiecto, et simul contineat praedicatum. Sic enim praedicatum est in medio termino; sed medius terminus tunc est in subiecto: ergo etiam praedicatum,

illo mediante, erit in subiecto. Hoc modo medius terminus erit subiectum in *maiori*, praedicatum in *minori*.

Q. 3. Quaenam alia regula tenenda est pro inventione medii ad ratiocinandum in *Celarent*?

R. Ad ratiocinandum in *Celarent*, seu ad probandam propositionem universalem negativam, quaerendus est medius terminus talis qui repugnet praedicato illationis, et conveniat eius subiecto; Si enim aliquid repugnat praedicato, et tamen dicitur de subiecto, profecto praedicatum cum subiecto non erit idem, cum mensuram communem non habeant. — Item cum omnis propositio universalis negativa converti possit simpliciter, hinc ad eam probandam valet etiam medius terminus, qui repugnet subiecto et conveniat praedicato.

Q. 4. Quid si agatur de probatione, non directa, sed indirecta?

R. Si agatur de probatione indirecta, ad inveniendum medium syllogismi, excogitandum erit quaenam absurda consequerentur si propositio non esset vera (affirmans vel negans, non refert); seu pro affirmativis, absurda quae sequerentur si praedicatum non conveniret subiecto; pro negativis, si conveniret; iisque utendum erit ad syllogismum instruendum.

LOGICA MAIOR.

DE LOGICA MAIORI.

DISPUTATIO.

Quae ratiocinium respiciunt, in logica minori satis enucleata sunt. Ratiocinium autem ducit ad veritatem: iam ergo de veritate ipsa, quantum ad logicam pertinet, agendum est; ita tamen ut de respectu etiam humanae mentis ad ipsam, de mediis quae homini suppetunt ad eam detegendam, deque veritatis criterio potissimum disputemus. Et hinc statim tria priora huius disputationis capita emergunt; quorum 1um de ipsa veritate et humanae mentis statibus quoad ipsam; 2um de mediis, quae nobis suppetunt ad veritatem assequendam; 3um de veritatis criterio sermonem faciet.

At quoniam veritas perfecta aut continetur in axiomatibus aut ex iis derivatur, axiomata autem ex conceptibus exurgunt; hinc, in triplicem mentis operationem (apprehensionem scilicet, judicium et ratiocinationem) redeuntes, 1° et speciatim agemus de universalibus, quae sunt obiecta simplicium mentis conceptionum; 2° de axiomatibus, quae ex conceptibus constant, 3° de scientia, quae in axiomatibus fundatur; 4° de methodo seu de via in scientiis acquirendis tenenda; et ita septem capitibus tota haec pars absolvetur.

Quibus tamen appendix addenda erit de arte critica et hermeneutica, quae intantum cum fine humanae mentis seu veritate colligatur, inquantum prior, nempe critica subvenit ad recte iudicandum de factis historicis, et de authentia praesertim et incorruptione librorum; posterior, nimirum hermeneutica (quae vel a critica non omnino distinguitur, vel eius est quasi pars aut rivulus) artem denotat eruendi genuina auctorum sensa ex eorum scriptis.

CAPUT I.

DE VERITATE ET MENTIS HUMANAE STATIBUS QUOAD IPSAM.

Caput praesens in sex articulos dividitur; quorum 1us quaerit de veritate ipsa deque eius divisione: 2us in quo cognitionis actu veritas reperitur: 3us de humanae mentis statibus quoad ipsam (nempe de statu ignorantiae, dubii, opinionis ac certitudinis): 4us de certitudine et evidentia speciatim: 5us de probabilitate: 6us de humanae ignorantiae errorumque causis.

Art. 1. *De veritate eiusque divisione.*

Q. 1. Quid est veritas?

R. Veritas generatim definitur a S. Thoma « adaequatio rei et intellectus ». (Summ. Theol. 1 p. q. 16, a. 2).

Q. 2. Quaenam adaequatio requiritur rem inter et intellectum ut veritas habeatur?

R. 2. Requiritur adaequatio formalis. Ad cuius evidentiam adverte, duplex distingui cognitionis obiectum, aliud *materiale* et aliud *formale.* Materiale est ipsa res ut est in se, cum suis notis *omnibus* quascumque habet: formale est illa eadem res secundum quod habet notas, quibus hic et nunc intellectui manifestatur. Sic ergo ut cognitio sit vera, sufficit ut formaliter adaequet obiectum suum; praesertim quod materialis adaequatio vel raro vel nunquam possibilis nobis est.

Et quia de oppositis est eadem ratio, hinc habes simul quodnam judicium sit ferendum de falsitate. Cum enim falsitas, utpote veritatis contraria, sit difformitas intellectus ab obiecto, ibi erit falsitas propria et positiva, ubi inadaequatio formalis contigerit: contra ubi inadaequatio fuerit tantum materialis, falsitas quoque erit solum impropria et negativa; quae inscitia potius quam falsitas dicenda est.

Q. 3. Quotuplex est veritas?

R. Veritas est triplex, *logica, metaphysica et moralis.* — Veritas logica, quae cognitionem afficit, est adaequatio idearum cum suis obiectis.

Veritas metaphysica est convenientia rei cum notis ipsam constituentibus, seu est ipsa obiecti realitas prout ad veram sui notitiam ingenerandam est apta. — Ubi nota quod cum de rebus creatis agitur, quoniam hae intantum sunt, et ad veram sui cognitionem movere possunt, inquantum ideae respondent supremi artificis; hinc earum veritas metaphysica in huiusm. convenientiam cum divinis ideis tandem aliquando resolvitur.

Veritas moralis est concordia signorum vel sermonis cum animi sententiis; quippe veridicum illum dicimus, qui quod mente concepit, verbis exprimit; dum contra eum appellamus mendacem, qui aliud exprimit verbis, quam quod mente tenet.

Q. 4. Res, signa et conceptus, quemadmodum veritate ornari possunt, itane etiam falsitate turpari queunt?

R. Verba, utpotequae ab arbitrio loquentis pendent, sine dubio falsitate turpari queunt, ut patet. — Idem dic de humanis cognitionibus; humana enim cognitio errori saepius obnoxia est.

Quoad res vero distinguendum est; vel enim agitur de rebus naturalibus vel de artificialibus. Porro res naturales cum necessario divinas ideas imitentur, nunquam falso subesse possunt *per se,* sed solum quandoque *per accidens*, quatenus notionem a se discrepantem *ex cogitantis defectu* ingenerare possunt. — At res artificiales tum *per se* tum *per accidens* falsitate aliquando laborant, sive quia deficere possunt ab idea artificis, sive quia possunt intelligi aliter quam sint.

Q. 5. Veritas logica, metaphysica et moralis, de quibus supra, pertinentne omnes ad logicam?

R. Non omnes, sed sola veritas logica: nam veritas moralis, quoad se, cum veracitas potius quam veritas dici debeat, in scientia morum, quae honestae operationis regulas tradit, considerari debet: veritas autem metaphysica ad ontologiam pertinet: sola ergo veritas logica, quae scilicet afficit cognitionem, et *in concreto* nihil est aliud quam *cognitio suo obiecto conformis*, prout in ab-

stracto est consensus et adaequatio conceptuum cum obiectis, hoc loco consideranda est.

ART. II. *De mentis actu in quo veritas invenitur.*

Q. 1. In quo mentis actu veritas invenitur?

R. Distinguendum est; aliud enim dici debet de veritate imperfecta et aliud de veritate perfecta: nam veritas perfecta nonnisi in iudicio proprie reperitur: veritas autem imperfecta in simplici etiam apprehensione reponenda est. Et idem dic de falsitate, cum de oppositis sit eadem ratio.

Q. 2. Quomodo probatur veritatem *perfectam* nonnisi in iudicio residere?

R. Veritatem perfectam nonnisi in iudicio residere, probatur triplici argumento; Et 1° ex signo: nam quemadmodum voces sunt signa idearum, ita propositiones sunt signa iudiciorum. Atqui quando quis voces distinctas profert, nemo eius sermonem verum aut falsum dicit, bene vero si propositiones componat: ergo id signum est in iudiciis proprie et perfecte veritatem aut falsitatem inveniri; in iudiciis, inquam, quae per propositiones exprimuntur, non vero in ideis, quae exprimuntur per vocabula.

Probatur 2° ex natura actuum mentis: nam veritas est perfectio cognitionis: ergo in eo actu mentis reponi debet, in quo reperitur perfecta cognitio: atqui id soli iudicio competit: in ipso enim tantum mens quiescit sicut in termino et proprio actu: ergo.

Probatur 3° ex ipsa veritatis notione: veritas enim, ut supra dictum est, definitur adaequatio rei et intellectus: ergo in ea mentis operatione erit reponenda, quae adaequationem illam exprimit et enuntiat: sed id *perfecte* fit tantum in iudicio, vi cuius duorum conceptuum comparatorum adaequatio exprimitur unum inter et alium, ut cum dicitur: homo est animal rationale, scilicet praedicatum convenit subiecto, seu sunt eadem inter se, et generatim A B: ergo.

Q. 3. Quomodo probatur veritatem *imperfectam* in simplici etiam apprehensione reponendam esse?

R. Haec propositio ex ipsis terminis constat; si enim idea suo obiecto conformis est, hoc ipso vera est.

Sed illud etiam hic est addendum, scilicet veritatem sub hoc respectu numquam posse ab apprehensione separari. Revera cogitatio, quae circa nullum versetur obiectum, manifeste repugnat: ergo apprehensio omnis circa aliquod obiectum necessario versatur: atqui talis cogitatio obiecti similitudinem importat, et haec adaequationem aliquam et consequenter aliquam veritatem: ergo veritas inchoata nunquam a simplici apprehensione separari potest.

Si dicas, posse mentem, dum unum obiectum percipit, alterius similitudinem in se concipere; contra: id aperte repugnat: intantum enim mens aliquid concipit, inquantum eius ideam, et non alterius, in se exprimit: si ergo ideam alterius exprimeret, hoc aliud et non primum obiectum in se conciperet: ergo.

Recole simplicem apprehensionem nullum continere judicium.

Q. 4. Quod respectu veritatis de intellectu dictum est, potestne aeque de sensibus pronuntiari?

R. Imprimis in nullo sensu reponi potest perfecta et propria veritas, quia nullus sensus iudicium unquam efformare potest.

Secundo, si agatur de veritate et falsitate inchoative, tunc idem dici debet de sensibus, quod de intellectu percipiente, cum proportione tamen, superius diximus; nam ipsi etiam vel obiectum exprimunt, et consequenter aliquam adaequationem, ideoque aliquam veritatem, vel nihil apprehendunt.

Art. 3. *De variis mentis statibus respectu veritatis assequendae.*

Iam dictum est veritatem assequi idem esse ac assequi judicia consona rebus circa quas intellectus versatur.

Q. 1. Quotuplici in statu mens, quoad veritatis adeptionem, reperiri potest?

R. Quoad veritatis adeptionem, quadruplici in statu mens reperiri potest, nempe vel in statu ignorantiae, vel in statu dubii, aut opinionis, aut certitudinis.

Q. 2. Quid est status ignorantiae et quotuplex ignorantia distinguitur?

R. Status ignorantiae est status mentis, in quo nullum judicium aut idea rei habetur.

Ignorantia duplex est, nimirum universalis et particularis. Universalis dicitur, quae circa omnia

versatur, ut in infantibus: particularis est, quae versatur tantum circa aliquas, plures vel pauciores, veritates; quae quidem, plus minus, reperitur in creata quavis intelligentia.

Q. 3. Quinam dicitur status dubii, et quotuplex dubium distinguitur?

R. Status dubii est status mentis, in quo, obiecto proposito, in neutram contradictionis partem inclinamur.

Est autem dubium duplex, nempe negativum et positivum. Negativum habetur, cum ex neutra parte ratio elucet, a qua mens moveatur, et hoc parum ab ignorantia differt: positivum est cum utrinque ratio aliqua intellectum in suam partem inclinat.

Q. 4. Quid est status opinionis, et quid opinio differt a probabilitate?

R. Status opinionis, qui medius est inter dubium et certitudinem, is dicitur in quo mens, obiecto proposito, assensum praestat, at non sine formidine oppositi et haesitantia quadam.

Hoc autem differt opinio a probabilitate, quod probabilitas proprie sit pondus momentorum, quibus ad assensum impellimur; opinio contra sit ille idem assensus.

Nota. Ad opinionem revocari potest suspicio, quae licet iudicium non sit, est tamen quaedam ad iudicandum inclinatio; quae quidem quatenus iudicium non est, differt ab opinione quae iudicium semper includit, licet non firmum; at quatenus propensionem exhibet ad iudicandum propter indicia quaedam vel motiva, quae in re apprehenduntur, est veluti via et quasi inchoatio opinionis.

Art. 4. *De certitudine et evidentia.*

Hic articulus in tres §os dividitur, quorum 1us agit de certitudine et evidentia secundum se, deque earum divisione: 2us de nexu veri evidenter apparentis cum certitudine: 3us de certitudinis gradibus.

§. 1. *De certitudine et evidentia secundum se deque earum divisione.*

Q. 1. Quid est certitudo?

R. Certitudo, si consideretur prout *subiectum* afficit, de quo *primario* dicitur, definiri potest *stabilitas assensus obiecto adhaerentis propter motivum aliquod, quo obiectum firmatur.* — Si vero spectetur prout afficit *obiectum*, de quo dicitur *secundario*, et ad quod ex actu mentis transfertur, est *aptitudo ipsa obiecti ad extorquendum assensum, sine dubio et formidine oppositi.*

Q. 2. Quotuplex est certitudo tum subiectiva tum obiectiva?

R. Certitudo tum subiectiva tum obiectiva est triplex, nimirum *metaphysica*, *physica* et *moralis.*

Certitudo metaphysica est, quae fundatur in ipsa rei natura et nexu praedicatum inter et subiectum necessario intercedente, ut in hac veritate: totum maius est sua parte.

Certitudo physica est ea, quae fundatur in constantia legum naturae et facti ipsius experientia, ut in his judiciis: ignis comburit; existunt corpora; nocti succedit dies.

Certitudo moralis est illa, quae fundatur in hominum testimonio et legibus, quibus humani mores temperantur, ut in his judiciis: Caesar extitit; parentes diligunt filios.

Q. 3. Quid est evidentia et quotuplex?

R. Evidentia si spectetur in *obiecto*, de quo *primario* dicitur, est *lux seu capacitas apparendi intellectui nostro, qua ipsum obiectum afficitur.* — Si vero spectetur in *subiecto*, de quo dicitur *secundario*, et ad quod ex obiecto transfertur, est lumen quoddam in ipsa mente exurgens ex perceptione alicuius obiecti certi et evidentis, et perceptionem totam perfundens.

Dividitur autem, aeque ac certitudo, in metaphysicam, physicam atque moralem.

Q. 4. Quomodo subdividitur tum evidentia tum certitudo?

R. Tum certitudo, tum evidentia, subdividitur in *immediatam* et *mediatam.* Immediata est de iis, quae animo, sine ratiocinatione, statim ac proponuntur, apparent: mediata vero de illis, quorum veritas, ut pateat, ratiocinatione indiget; et debet ex aliunde notis demonstrari.

§. 2. *De nexu veri evidenter apparentis cum certitudine.*

Q. U. Verum evidenter apparens gignitne necessario certitudinem?

R. Verum evidenter apparens necessario gignit certitudinem. Revera omnis potentia necessario conquiescit in possessione boni, ad quod tendit; mens

autem tendit in verum: ergo aut nunquam perficit actum suum, qui in verit tis assequutione consistit, aut si perficit, habetur evidens cognitio veri, et quies, et consequenter certitudo. — Nam verum cognosci et menti evidenter apparere sunt unum et idem.

§. 3. *De certitudinis gradibus.*

Q. 1. Suntne assignandi gradus in certitudine; seu daturne certitudo alia certitudine maior ?

R. Distinguendum est. Si enim attendas ad partem negativam, nimirum ad exclusionem dubii, sic una certitudo alteri non praestat; nam certitudo sub hoc respectu consistit in indivisibili. — Si vero attendas ad partem certitudinis positivam, nempe ad intensitatem adhaesionis, tunc una certitudo praestat alteri, ut ex sequentibus patebit. Sit itaque tanquam basis

Q. 2. Certitudo mentis estne proportionalis 1° ipsi motivo, quod in obiecto proposito ad assensum pertrahit: 2° essentiae subiecti intelligentis et lumini, sub quo mens adhaeret obiectis: 3° pendetne etiam ex aliis capitibus ?

R. Certitudo mentis 1° est proportionalis motivo, quod in obiecto proposito ad assensum pertrahit; omnis enim effectus proportionalis est causae, a qua gignitur: sed certitudo mentis *per se* gignitur a motivo, quod ex parte obiecti ad assentiendum trahit; mens enim idcirco adhaeret obiecto, quia stabile motivum in ipso conspicit: ergo.

Nota. Motivum huiusm., quod in obiecto ad assentiendum impellit, appellatur *obiectum formale.* Sic in ea veritate: *effectus exposcit causam,* obiectum formale erit *necessarius nexus* inter subiectum et praedicatum.

Secundo, certitudo mentis *per se* proportionalis est etiam essentiae subiecti intelligentis, et lumini sub quo mens obiectis adhaeret. Revera actus, et ea quae actum consequuntur (hic certitudo), per se attemperantur fundamentali perfectioni subiecti, a quo actus efficitur, scilicet eius essentiae, et qualitatibus (idest lumini), quae subiectum proxime disponunt ad actum ipsum eliciendum: ergo.

Tertio, Certitudo mentis potest variari etiam ex aliis capitibus, nimirum ex ingenio maiori vel minori, ex attentionis gradu, speculationis exercitio etc. — Quae tamen diversitas non amplius essentialis erit, sed tantum accidentalis, quoad intelligentias *eiusdem speciei* et *eodem lumine* illustratas. Hisce positis sit

Q. 3. Certitudo methaphysica, physica et moralis differuntne specie inter se, et praestatne una alteri?

R. Quod certitudo metaphysica, physica et moralis specie differant, demonstratione non eget; nam *obiectum formale* est diversum in singulis; ergo speciem diversam impertit actui et iis quae actum consequuntur.

Quod vero una alteri praestet, facile probatur; nam ubi motivum (obiectum formale) est efficacius et maiore vi praeditum, certitudo quae inde gignitur, est praestantior: sed ita est in casu. Mo-

tivum enim *metaphysicae* certitudinis est ipsa identitas idearum; quod motivum tale est ut eius oppositum semper et omnino repugnet: motivum *physicae* est constantia legum naturae, quae suspendi possunt a Deo: motivum *moralis* est stabilitas legum moralium, quae, etsi per se firmae sint, ordinem tamen involvunt ad voluntatem, quae in ente mutabili depravationem subire potest; ergo.

Et hinc argues iudicia secundi et tertii generis absoluta non gaudere necessitate, sed hypothetica tantum, quae in casu peculiari exceptioni obnoxia est. — Tandem sit

Q. 4. Certitudo fidei supernaturalis exceditne quamlibet naturalem certitudinem?

R. Certitudo fidei supernaturalis excedit quamlibet naturalem certitudinem. Et hoc iterum patet tum ex eius *motivo*, quod est divina auctoritas qua ad credendum impellimur, quae magis est errandi nescia quam quaelibet metaphysica evidentia rationis; tum ex *lumine*, nempe fidei, quo mens illustratur, quod naturalem quamlibet intelligentiae lucem exsuperat. Et insuper, quatenus fides pendet a voluntate, quia nititur in *speciali motione* Spiritus sancti, quae ad excellentiorem certitudinem praestandam est maxime efficax.

Q. 5. Certitudo potestne unquam ab evidentia intrinseca separari?

R. Distinguendum est; aliud enim de obiectis, quae humanum captum non excedunt, aliud de iis, quae captum nostrum exsuperant, dicendum est. Itaque si de primis agitur, quoad haec fieri nequit ut evidentia a certitudine sejungatur, *nisi per*

accidens, scilicet in homine indocto respectu veritatum ad scientiam aliquam pertinentium: *per se* autem in veris huiusmodi nunquam a certitudine evidentia sejungitur, si menti rite proponantur; nulla enim causa est, cur huius generis obiecta evidenter apparere non debeant, cum et in se evidentiam habeant, et nostrae intelligentiae viribus sint consentanea.

At si agitur de iis obiectis, quae humanum excedunt captum, vel etsi non excedant, fide tamen credenda sint, tunc procul dubio certitudo ab evidentia sejungi potest: nam Deus ad effectum aliquem producendum naturalibus mediis non indiget; et consequenter optime potest applicare sine evidentia motivum, ac certum et firmissimum assensum a mente nostra sic elicere, quin evidens apparentia obiecti ad assentiendum nos adigat. Sic accidit in assensu fidei supernaturalis, quem veritatibus revelatis praestamus, quemadmodum Theologi fuse explicant.

Difficultates.

D. 1. Certitudo physica non videtur esse vera certitudo; cum enim patiatur exceptiones, non excludit omne dubium. — Et idem dic de certitudine morali.

R. Dicendum ex eo quod certitudo tum physica tum moralis exceptiones patiantur, non sequi eas non esse veras certitudines, sed tantum non esse absolutas sed hypotheticas; idest eiusmodi ut conditionem illam involvant « nisi exceptio contigerit in ordine rerum et morum ».

Ceterum etsi absolute et abstracte exceptio sit possibilis, tamen, quoad certitudinem physicam, cum exceptio naturae legibus fieri debeat a Deo, qui temere non operatur; si nulla est ratio, quae suadeat naturae cursum in casu illo esse suspensum, nonnisi insipienter ad id suspicandum moveremur. — Item, quoad certitudinem moralem, cum exceptio in legibus, quae hominum mores gubernant, provenire debeat ex abusu libertatis, quo quis veluti humanitatem exuerit; absurdum est dubium, quando nulla est ratio, quae tale portentum in casu, de quo agitur, coniicere faciat. — Igitur cum statui possit exceptionem in hoc vel illo casu concreto non fieri, tunc mens obiecto adhaeret absque ulla formidine oppositi.

D. 2. Certitudo fidei supernaturalis non videtur praestare certitudini naturali; haec enim etiam invitos trahit, non vero illa sed solum volentes.

R. Dicendum quod ratio cur certitudo naturalis invitos etiam cogit, certitudo autem fidei supernaturalis nonnisi volentes, deducitur non ex eo quod haec non sit firmior illa, sed ex eo quod in fide supernaturali medium desideratur *ordine naturae idoneum* ad extorquendam intellectus adhaesionem (haec enim *externo tantum criterio* fulcitur, nimirum *testimonio Dei revelantis*); dum contra huiusmodi *naturale* medium habetur in naturali certitudine, et est evidentia. At hinc non aliud infertur nisi priorem assensum esse necessarium, utpote evidentem; alterum vero liberum utpote evidentia orbatum. Nos autem praestantiam

fidei prae naturali certitudine, non ex evidentia et necessitate assensus, sed a nobilitate luminis supernaturalis, quo mens instruitur, et ab excellentia motivi desumpsimus; quae certe praestantiora esse in fide quam in naturali scientia, nemo nisi amens inficiabitur.

Nota. Agitur de certitudine. Porro mens potest de veritate aliqua maxime esse certa (ut in casu, quo eam Deus revelet) quin ipsam videat: (imo in eo casu sic necessario est); plus enim Deo revelanti, quam nostrae experientiae aut naturali cognitioni, quamvis evidenti, est adhaerendum, cum Deus sit absolute infallibilis.

Art. 5. *De probabilitate.*

Cum in vitae usu non modo, sed etiam in ipsis scientiis certitudinem assequi non semper datum sit, sed probabilitate plerumque contenti esse debeamus, hinc abs re non erit aliquantisper de ipsa disserere.

Q. 1. Quid est probabile et quotuplex?

R. Probabile idem est ac dignum quod probetur, quemadmodum amabile dicitur id quod est amore dignum.

Est autem duplex, nimirum internum et externum. Probabile internum est quod nititur momentis ex ipsa rei natura desumptis: externum vero est, quod nititur momentis ex auctoritate testantium provenientibus.

Q. 2. Probabile estne situm in indivisibili, an patitur extensionem quamdam?

R. Probabile, etiam quoad partem negativam, patitur latitudinem quamdam; potest enim propositio aliqua esse vel probabilissima, vel probabilior sua opposita, vel aeque aut minus probabilis, prout gravissimis aut gravioribus, aut aeque aut etiam minus gravibus argumentis roboratur prae alia.

Q. 3. Potestne fingi probabilitas quasi certitudinis fractio?

R. Probabilitas nullo modo fingi potest quasi certitudinis fractio: nam certitudo sita est in indivisibili, ut supra (a. 4°) dictum est; eamque inter et probabilitatem *essentiale* viget discrimen ut ex earum definitionibus patet: quapropter certitudo variis gradibus probabilitatis simul sumptis, quasi partibus seu fractionibus constare nequit; et hinc probabilitas non est certitudinis quasi fractio.

Q. 4. Propositio, quae habeat contradictoriam probabiliorem, fitne hoc ipso improbabilis?

R. Negative; nam magis et minus non mutant speciem, nec nisi inter terminos eiusdem speciei comparatio possibilis est: quare si unam ponis probabiliorem, necessario aliam vere probabilem ponas oportet; praesertim quod quae minus probabilis apparet, forte dein vera invenitur, et probabilior falsa.

Art. 6. *De humanae ignorantiae errorumque causis.*

Q. 1. Quaenam sunt causae humanae ignorantiae?

R. Causae humanae ignorantiae sunt sequentes;

nempe 1.ª ipsa conditio naturae, qua homo scientiis orbatus nascitur, et cuius limitatio ad plurium rerum notitiam comparandam obicem ponit.

2.ª Est inertia; nam studium labor quidam est; inertia autem laborem fugit.

3.ª Voluptatum appetitio; tum quia voluptates a speculabilibus mentem avertunt, tum quia mentem ipsam oblectamentis affixam acie destituunt ac perdunt.

4.ª Ordo studiorum praeposterus; sicut enim nil acquirendae sapientiae magis favet, quam ordo studiorum et disciplina, ita nihil plus nocet, quam eorum confusio ac deordinatio.

5.ª Contemptus quaestionum abstractarum et subtilium. — Qua in re tamen cavendum est tum ne illae quaestiones omittantur, sine quibus pleraeque disciplinae indigestae moles factorum essent potius quam scientiae, tum contra ne plura difficiliora et subtiliora nimis sine necessitate ac quasi ad jocum in medium afferantur.

Q. 2. Quinam sunt errorum fontes, et imprimis quid est error?

R. Error est assensus falsae propositioni adhibitus, vel dissensus verae.

Fontes autem errorum sunt multiplices: 1ᵘˢ est praeiudicium, seu anticipata et fixa opinio. — Cuius remedium est sapiens et moderata dubitatio, qua nihil admittatur nisi, pro rei diversitate, aut per se evidens sit, aut legitima demonstratione, aut auctoritate fundatum.

Secundus est affectuum dominatus; quod enim quisque amat, facilius probat. — Huius remedium

est, in judiciis ferendis, non cupiditatum inclinationem, sed rationem sequi.

Tertius est negligentia, defectns necessariae considerationis, praesumptio; ex quibus fit ut argumenta utrinque militantia nihil aut leviter perpendantur, ideoque temere proferatur judicium. — Horum remedia sunt diligentia, attentio opportuna et meditatio, suique ipsius diffidentia.

Quartus est logicae neglectus; nam logicae severitate posthabita, difficilius deteguntur sophysmata atque fallaciae. — Quae igitur, stylo academico disputata, obscuriora apparebunt, ad formam dialecticam redigenda erunt: hoc enim modo omne errandi periculum facilius vitari poterit.

CAPUT II.

Media, quibus pro veritate assequenda a provido Auctore naturae donati sumus, cognoscendi facultatibus continentur; iis enim obiecta detegimus, ideas et iudicia nobis comparamus.

Porro de iis disserere ad *psycologiam* pertinet. Logicae tantum est breviter eas describere, ut de illarum veracitate dein sermo institui possit.

Itaque facultates praedictae, prout ad veritatem acquirendam referuntur seu sub consideratione logica, ad quatuor reduci possunt, nempe ad sensibilitatem, ad intelligentiam, ad rationem et ad conscientiam. Revera obiecta omnia vel sunt per se evidentia et huiusmodi ut immediate cognoscantur, vel contra per se non patent, sed tamen alterius cognitionis auxilio innotescunt. Si hoc se-

cundum accidit, ad iudicia de iis proferenda pervenimus mediante ratiocinatione, quam facit *ratio.* Si primum contingat, tunc obiectum illud immediate notum vel spectabit ad ordinem idealem, vel ad realem. Si spectabit ad ordinem idealem, quatenus sit aliqua notio in suis intrinsecis characteribus contemplanda, facultas qua attingitur, vocatur *intelligentia*; sin spectet ad ordinem realem, tunc vel erit ipsum subiectum cogitans, quod attingit *conscientia*; vel erunt corpora in propria concretione percepta, et facultas iis respondens dicitur *sensibilitas.* — Hae igitur sunt facultates, quarum totidem articulis primum descriptio fiet, deinde veracitas propugnabitur; ita scilicet ut 1° agatur de sensibilitate: 2° de intelligentia: 3° de ratione: 4° de conscientia; quarum descriptione breviter peracta, 5° instituetur sermo de sensuum veracitate (cui tractationi addetur appendix de corporum existentia): 6° de veracitate conscientiae: 7° de veracitate intelligentiae: 8° de veracitate rationis, cum alia appendice, de scepticismo.

Art. 1. *De sensibilitate.*

Delibanda hic aliqua sunt 1° de sensibilitate generatim: 2° de sensibilitate interna: 3° de sensibilitate externa.

§. 1. *De sensibilitate generatim.*

Q. 1. Quid est sensibilitas?

R. Sensibilitas est vis quaedam perceptiva,

quae ab anima ope organorum corporis exercetur. — Nomine autem organi intelligitur pars corporis peculiari structura gaudens pro exercitio functionis alicuius vitalis. Quod si talis functio sit sensatio, tunc eius organum dici etiam solet sensorium.

Q. 2. Quodnam est sensibilitatis obiectum?

R. Obiectum sensibilitatis snnt corpora in propria concretione percipienda.

Q. 3. Quotuplex est obiectum sensus?

R. Obiectum sensus est triplex, nempe *proprium, commune* et *per accidens.*

Obiectum proprium dicitur illud quod attingitur ab unoquoque sensuum, et ab alio sensu attingi nequit.

Obiectum commune est illud, quod non ad unum sensum dumtaxat, sed ad plures refertur: sic extensio, figura, motus, quies, distantia, numerus, inter obiecta communia numerantur. — Ubi tamen nota quod ipsa etiam vi obiecti proprii a sensibus percipiuntur.

Obiectum per accidens est res illa, cui accidit esse subiectum obiecti sensus: sic huic vel illi colorato accidit esse hominem vel brutum.

Q. 4. Quid respectu sensuum intelligitur pro specie sensibili *impressa* et pro specie sensibili *expressa?*

R. Respectu sensuum pro specie sensibili impressa intelligitur determinatio illa, quam obiecta in *ipsa facultate sentiendi* producunt, quaeque facultatem sensibilem ad hanc potiusquam aliam sensationem eliciendam inflectit. — Pro specie vero expressa intelligitur ipsa perceptio, quae inde consequitur.

§. 2. *De sensibilitate externa.*

Q. 1. Quid est sensibilitas externa?

R. Sensibilitas externa est vis quaedam perceptiva, quae ab anima ope organorum corporis *externorum* exercetnr.

Q. 2. Quotnam sensibus constat sensibilitas externa?

R. Sensibilitas externa quinque sensibus constat, nempe visu, auditu, olfactn, gustu et tactu; quorum organa sunt respective oculi, aures, nares, palatus et cutis.

Q. 3. Quodnam est obiectum proprium cuiusque horum sensuum?

R. Obiectum proprium visus est lux cum coloribus ex ea emergentibus; auditus sunt soni; olfactus odores; gustus sapores; tactus resistentia corporum et temperatura, earumque diversi gradus et modificationes.

§. 3. *De sensibilitate interna.*

Q. 1. Quid est sensibilitas interna; et quotnam sensibus constat?

R. Sensibilitas interna est vis quaedam perceptiva, quae ab anima ope organorum corporis *internorum* exercetur.

Quatuor sensibus interna sensibilitas constat juxta S. Thomam et alios, et sunt sensus communis, imaginatio vel phantasia, aestimativa et memorativa seu memoria sensitiva.

Q. 2. Quid est sensus internus seu communis, et quodnam est eius organum?

R. Sensus internus seu communis est facultas organica, qua apprehendimus corpus nostrum prout sensitivum est. — Dicitur communis, non communitate praedicationis (est enim potentia particularis in animante), sed quia in ipso quasi in centro omnes externi sensus uniuntur, et ipse est perceptivus et discretivus obiectorum omnium externorum sensuum.

Eius organum videtur residere in systemate nerveo, quod per totum corpus extenditur, et cum singulis externis sensoriis se communicat.

Q. 3. Quid est phantasia, et quanam in parte corporis eius organum ponendum est?

R. Phantasia est facultas repraesentativa et perceptiva *sensibilium* in eorum absentia.

Organum phantasiae videtur ponendum in cerebro, quocum communicant omnia organa aliorum sensuum, et in quo radicantur per nervos. Attamen eius exercitium a toto sistemate nerveo aliquatenus pendet; nam aetas, temperies corporis, debilitas nervorum, irritabilitas fluidorum magnam illi varietatem afferunt. — Illud autem pro certo habendum est, eius organum cum organis aliorum sensuum non confundi, ut quidam erronee posuerunt; nam laeso organo alicujus sensus, adhuc phantasia species reproducit per illum sensum prius habitas.

Q. 4. Quid est aestimativa?

R. Aestimativa est facultas organica interior, quae apprehendit sensile sub ratione insensata, seu sub ratione convenientis et disconvenientis.

Q. *5.* Quid est memorativa?

R. Memorativa seu memoria sensitiva respondet aestimativae, et definitur potentia qua animal cognoscit idem ac aestimativa, in absentia tamen obiectorum. Differt ab imaginatione, quae non reproducit ea, quae ab aestimativa fuerunt percepta. — Eius organum est cerebrum. (Plura vide in psychol. c. 1).

Art. 2. *De intelligentia.*

Q. *1.* Quid sub nomine intellectus venit?

R. Intellectus duplici significatu, nimirum latiori et strictiori, sumi potest. Sub nomine intellectus late sumpti venit vis, non modo iudicandi, sed etiam ratiocinandi: at in significatu strictiori intellectus sumitur pro vi, qua *apprehendimus*, ac judicia *immediata* proferimus, quae scilicet mentis *discursu*, ut pronuntientur, non egent.

Q. *2.* Quodnam est obiectum intellectus?

R. Obiectum intellectus est *quod quid est*, nimirum *essentia*. — Cum vero essentia per se ad nullum individuum coarctetur, hinc fit ut obiectum intellectus, eo ipso quod est essentia, sit *universale;* quemadmodum e converso obiectum sensus, hoc ipso quod est factum aliquod, semper particulare et concretum est. — Et hinc patet intellectum esse potentiam inorganicam. Sed de hoc fuse in Psychologia.

Q. *3.* Essentiae quaelibet suntne obiectum *immediatum* intellectus?

R. Non omnes sed aliquae tantum essentiae

sunt intellectus obiectum *immediatum*. Cum enim intellectus noster exeat de potentia in actum, progressione quadam suas cognitiones acquirit. Aliquas tamen essentias *immediate* percipiat oportet; secus nullum initium sui processus haberet.

Quaenam vero sint istae, duplici ex capite definiri potest; nimirum 1.° ex ratione universalitatis; 2.° ex ratione originis in cognoscendo: nam ex una parte quo aliqua notitia est universalior et abstractior, eo est magis confusa et minus determinata; ex alia vero, ut in psychologia videbimus, omnis cognitio nostra incipit a sensibus.

Itaque, ex primo capite, intellectus noster eo ipso quod ex imperfecto ad perfectum procedit, eas tantum essentias *immediate* percipit, quae maxime universales sunt; et, ex alio capite, illas quae *facilius* abstrahi possunt a perceptione rerum sensibilium.

Hae igitur erunt in primis notiones entis, unius et reliquorum conceptuum transcendentalium, qui cum ente convertuntur. — Deinde notiones eorum, quae proxime enascuntur ex entis partitione; ut sunt notiones actus, potentiae, substantiae, accidentis et similium. — Tertio notiones eorum, quae sensus directe percipit, quatenus tamen cum universalissima conceptione copulantur, non quatenus peculiaribus differentiis adstringuntur. — Sic illico mens concipit colorem, sonum, motum etc., prout sunt qualitates corporeae dumtaxat hanc vel illam sensationem in nobis excitantes; licet ad eorum naturas distinctius dignoscendas, et prout peculiaribus differentiis afficiuntur, nonnisi mediate, nempe per rationis discursum, deinceps ascendat.

Q. 4. Quotuplicis generis sunt iudicia *immediata* (quae scilicet stricte ad intelligentiam, prout a ratione distinguitur, pertinent) idest quae mera obiecti intuitione *immediate* proferuntur; et primo quid est intuitio et quotuplex?

R. Intuitio est perceptio veritatis, quae menti nostrae sese manifestat per semetipsam absque auxilio alterius veritatis. — Est autem triplex, nempe *idealis, psychologica* et *sensibilis*: 1ª versatur circa ideam: 2ª circa factum internum: 3ª circa factum externum. — Intuitio idealis ea est, qua cogitando spectamus obiectum, non prout *physice in propria individualitate* subsistit, sed prout *intelligibile quiddam* est, et rationem mentis suppeditat *a facto experientiae per se non dependentem*, ut est notio substantiae, qualitatis, causae etc. — Intuitio psychologica ea dicitur, qua intuemur *factum in rerum natura existens et internum*, quod sit ipsum subiectum cogitans vel aliqua eius affectio. — Intuitio sensibilis est qua intuemur *factum* a *subiecto cogitante distinctum*, nimirum factum *externum*.

Hisce positis, duplex ordo, et duplex iudiciorum classis, oritur in scientiis. Duplex ordo; nempe *idealis* seu *rationalis*, ex intuitione idearum; et *experimentalis*, ex intuitione factorum; qui postremus subdividitur in internum et externum, ut ex dictis patet. Et item duplex exurgit classis judiciorum, quae a mente colliguntur in utroque ordine; immediata omnia, quatenus non ex aliis derivantur, sed simplicem apprehensionem tantum ideae aut facti cuiusdam subaudiunt; et alia ordinis idealis seu

rationalis, alia ordinis experimentalis; seu alia analytica, alia synthetica.

Quae duplicis huius ordinis iudicia hoc differunt inter se, quod quae pertinent ad ordinem idealem sunt necessaria absolute et universalia, quum identitate idearum nitantur; quae vero ad ordinem pertinent experimentalem sunt particularia tantum et contingentia; cum in re non existat nisi singulare et, Deo excepto, nisi contingens. Possunt tamen ad universalitatem attolli vi *inductionis*, ut in 1ª parte logicae dictum est.

Art. 3. *De ratione.*

Q. 1. Quid est ratio?

R. Ratio est functio intellectus, qua ex una veritate nota ad aliam ignotam deducendam fit gradus.

Q. 2. Quomodo vocatur actus huiusm., et quotuplex distinguitur ratiocinatio?

R. Actus huiusm. vocatur ratiocinatio, quae duplex est; alia apodictica seu demonstrativa, et alia probabilis. De utraque duobus §.is agendum est.

§. 1. *De ratiocinatione apodictica seu demonstrativa.*

Q. 1. Quaenam est demonstratio apodictica seu demonstrativa, et quot eiusdem genera numerantur?

R. Demonstratio dicitur apodictica seu demon-

strativa cum a certis et evidentibus praemissis procedit.

Huius autem quatuor sunt genera; nempe demonstratio *a priori*, demonstratio a *posteriori*, *directa, et apagogica seu indirecta.*

Demonstratio *a priori* habetur cum notitia effectus ex notitia causae suppeditatur, ut si dicas: in homine est rationalitas: ergo libertas.

Demonstratio a posteriori dicitur cum causa ex effectu probatur, ut si dicas: existit mundus: ergo existit Deus.

Demonstratio directa vocatur cum ex una notione subiecti aliam inferimus, ut si dicamus: animus est spiritualis: ergo immortalis.

Demonstratio apagogica seu indirecta tunc est cum propositio ostenditur ex absurdis alias consecuturis, ut si quis dicat: vita futura est admittenda; secus totus ordo mundi perturbaretur.

Q. 2. Quaenam harum demonstrationum est praestantissima?

R. Harum praestantissima est demonstratio *a priori*; in ea enim sciendi cupiditas plene expletur, non vero in aliis; tunc enim solum perfecte scimus cum rei causam cognoscimus.

Adverte tamen, omnes et singulas esse apodicticas, seu omne dubium excludere.

Nota. Demonstratio a priori dicebatur a veteribus demonstratio *propter quid*; contra alia a posteriori appellabatur demonstratio *quia*.

Q. 3. Estne admittenda alia ratiocinationis partitio, qua ratiocinium dividitur in purum, empiricum et mixtum, et quid pro singulis hisce ratiociniis intelligitur?

R. Divisio huiusm. admittenda est, imo est magni momenti, si rite res consideretur.

Et illud dicitur ratiocinium purum quod solis praemissis rationalibus constat, ut si dicas: ex aequalibus summis, aequalibus demptis partibus, quae supersunt sunt aequalia; atqui in omni triangulo summa angulorum aequat duos angulos rectos: ergo si duobus triangulis demitur aequalis angulus, summae angulorum, quae supersunt, erunt aequales.

Empiricum autem ratiocinium dicitur, quod solis constat iudiciis experimentalibus, ut si dicas: ignis admotus stipulae eam comburit; atqui huic stipulae ignis admovetur: ergo eam comburi necesse est.

Ratiocinium mixtum est quod altera rationali, altera experimentali praemissa coalescit, ut si dicas: nequit existere ens contingens nisi existat ens necessarium; atqui existunt entia contingentia: ergo ens necessarium existat oportet.

Q. 4. Quid ratiocinia pura, empirica et mixta differunt inter se?

R. Hoc differunt quod ratiocinia pura nonnisi relationes quasdam inter ideas ipsas detegunt, sed per se ad realem existentiam inferendam non valent; reliqua contra existentiam attingunt.

Nam, ad ratiocinationem empiricam quod attinet, haec tota est in realitate ipsa conferenda et judicanda. — Mixta vero veritatem quamdam puram et rationalem alteri veritati experimentali, realem existentiam includenti, applicat, et ita ostendit eas ipsas relationes in rebus existere, quae inter ideas intercedunt; veritates enim purae sunt,

ut ita dicam, conditionate reales et practicae, quatenus scilicet quod absolute asserunt de ideis, idipsum etiam asserant de rebus, dummodo conditio, quam includunt, reducatur ad actum. Sic cum dicis: ens contingens extare nequit sine ente necessario, idem est ac si diceres: si existit ens contingens, extare debet ens necessarium; unde cum postea in minore asseris existentiam entis contingentis, consequens est ut in illatione realem entis necessarii existentiam deducas. — Ex quibus intelligitur quantae utilitatis sit huiusmodi ratiocinatio, cum per eam ex iis, quae experientiae subiecta sunt, ea quae per existentiam non attinguntur, necessario et evidenter inferimus.

Q. 5. Quaenam dicitur ratiocinatio *ad hominem?*

R. Ratiocinatio ad hominem dicitur ea, qua ex principiis adversariorum aliquid contra ipsos ostendimus.

§. 2. *De argumentatione probabili.*

Q. 1. Quaenam est argumentatio probabilis?

R. Argumentatio probabilis ea est, quae ex utraque vel alterutra praemissa probabili concludit.

Q. 2. Estne spernenda probabilis demonstratio?

R. Demonstratio probabilis minime spernenda est; 1.° quia probabiles cognitiones aditum certitudini saepissime parant: 2.° quia in multis tum ad humanum commercium, tum etiam ad nobilissimas disciplinas spectantibus saepe nulla suppetit demonstratio, ex qua conclusiones evidentes proce-

dant; unde in iis argumento probabili, si datur, contenti simus oportet.

Q. 3. Demonstratio probabilis reduciturne ad sua propria principia?

R. Quemadmodum omnes propositiones certae ad principia per se nota reducuntur, ita omnes propositiones probabiles ad principia *per se probabilia*; cuiusmodi sunt sequentia: quod in uno similium valet, valet in ceteris: vel: quod maxima pars eorum, qui in quavis arte periti sunt, dicit, id verum est. — Quae sententiae dicuntur maximae, quia earum quaelibet plurimas sententias continet magis particulares, quae ad arguendum assumi possunt.

Q. 4. Quotuplex est argumentatio probabilis?

R. Argumentatio probabilis, non secus ac demonstrativa seu apodictica, dividitur in argumentationem *a priori* et *a posteriori*: nam omnis argumentatio probabilis vel revocatur ad *analogiam*, quae a priori procedit, vel ad *hypothesim*, quae procedit a posteriori.

Q. 5. Quid est argumentatio ab analogia; quibus principiis innititur, et quo pacto reducitur ad syllogismum?

R. 1° Demonstratio ab analogia est demonstratio quaedam, qua ab *una proportione* nobis comperta, *aliam proportionem* non compertam inferimus. Unde patet, analogiae argumentum inductionem *imperfectam* (cum inductione *incompleta* non confundendam) merito vocari; nam *inductio* a partibus ad *totum genus* procedit; *analogia* vero a *parte* procedit ad *partem*, quae sub *eodem*

genere utcumque contineatur. — Quo quidem argumentandi genere passim utimur, eiusque ope cognitiones pene innumeras adipiscimur. Neque aliud fere est sagacitas illa, qua experrectae mentes veritatem propemodum odorantur, venatuque studioso prosequuntur, quam facilitas quaedam ac promptitudo analogias in analogiis detegendi, ampliandi, confirmandi. Hinc physicorum prima semina ac celeberrima nostrae aetatis inventa etc.

2° Demonstratio ab analogia hisce potissimum principiis innititur:

Quod in uno similium valet, valet in ceteris: quod non valet in uno similium, nec in ceteris valet.

Causae similes effectus similes producunt: res similes proprietatibus similibus instructae sunt: — secundum similes typos conditae sunt: — similes fines habent: — similibus legibus reguntur etc.

Dissimilibus dissimilia conveniunt: — contrariorum contrariae sunt causae etc.

3° Demonstratio ab analogia hoc modo reducitur ad syllogismum:

Similes causae similes producunt effectus; sed hae causae similes sunt: ergo similes effectus producunt. Sed effectus causae A (quem cognosco), talis est: ergo talis erit etiam effectus causae B, nondum notus.

Conclusio, ut patet, probabilis tantum erit.

Q. 6. Quaenam in usu analogiae potissimum vitanda sunt?

R. In usu analogiae haec duo potissimum vitanda sunt, nempe 1.° eiusdem contemptus; quo

vitio laborant angustae mentis homines qui harmoniam naturae et proportionum convenientiam minime sentiunt: 2.° nimia eius aestimatio; qua fit ut non pauci analogiae vim ac pondus pluris faciant quam par sit, et contrarias demonstrationes ipsi posthabeant.

Q, 7. Quid est hypothesis, et quibusnam argumentis innititur?

R. Hypothesis seu suppositio est propositio, cuius veritas nondum demonstrata est; sed tamen assumitur tamquam vera, quia facta quaedam commode explicat.

Hisce autem argumentis seu praemissis innititur: si existeret haec causa, talia facta nobis exhiberentur: sed facta talia nobis exhibentur: ergo? an deduces abrupte causam *illam* existere? Vetat id conditionalis syllogismi natura. Concludere igitur licebit fieri posse ut ea causa existat. — Ubi tamen nota quod si hypotheses omnes ea in re possibiles collectas habeas, et demonstres omnes, una excepta, esse excludendas, tunc jus tibi fiet absolute concludendi causam illam certe existere; et ita hypothesis in thesim mutabitur.

Q. 8. Quaenam requiruntur conditiones ut probabilis fiat hypothesis?

R. Ut hypothesis probabilis fiat, hae requiruntur conditiones; 1.ª ut sit possibilis, et consequenter non repugnet intrinsece, nec legibus exploratis sive physicis sive moralibus sive hermeneuticis opponatur. — Adverte tamen hypothesim interventus divini immediati in explicandis iis, quae contra ordinem naturae fiunt, nulli legi physicae

opponi. — Item nota hypothesim impossibilem quandoque usum habere non ad explicanda facta, sed ad sententias erroneas evertendas.

Secunda conditio est, ut omnia facta, ad quae explicanda assumitur, commode explicet, aut saltem ex iis praecipua, ceterisque sive per se sive per aliud aliquando explicandis existimari apta possit.

Art. 4. *De conscientia.*

Q. 1. Quid est conscientia?

R. Conscientia est facultas, qua mens operationes suas et seipsam apprehendit.

Q. 2. Conscientia estne facultas distincta ab intellectu?

R. Conscientia non est facultas distincta ab intellectu sed actus est eius, seu, ut aiunt, intellectus functio: nam obiecta intellectus et conscientiae non sunt irreducibilia ad unum: et tamen hoc requireretur ad constabiliendam diversitatem facultatum.

Q. 3. Quotnam per actum conscientiae apprehenduntur?

R. Per actum conscientiae duo semper, saltem confuse, apprehenduntur, scilicet affectio animae, et subiectum, cui illa insidet. — Ratio est quia affectio illa concrete attingitur et prout est: est autem non in se sed in subiecto, quod ipsa informatur: unde per conscientiam homo propriam existentiam (non naturam, quam cognoscit per ratiocinium) attingit; licet non intelligat se esse et

vitae principium habere nisi quatenus se operari intelligit.

Q. 4. Potestne homo per conscientiam plene redire in seipsum ?

R. Homo vi conscientiae in seipsum plene redire potest; nam conscientia exercetur tum circa actus singulorum sensuum, tum generatim circa actus omnium aliarum facultatum, ideoque completo reditu constat in activitatem subiecti cogitantis. Hinc conscientiae ope propriam existentiam percipimus, ut dictum est.

Q. 5. Reflexio conscientiae propria seu psychologica, et reflexio ontologica, suntne unum et idem?

R. Reflexio conscientiae propria seu psychologica cum reflexione ontologica confundi nequit: haec enim, scilicet ontologica, ea est, qua non subiectum respicitur aut eius actus, sed ipsum obiectum cognitum ut denuo cogitetur, seu est recogitatio: illa contra, nempe psycologica est ea quae non rem cogitationi obiectam, sed cogitationem ipsam et subiectum ea affectum respicit.

Art. 5. *De veracitate sensuum.*

Descriptis facultatibus, quibus ad veritatem detegendam a provido naturae Auctore donati sumus, jam de earum veracitate agendum est.

Ut vero a sensibus incipiamus, praenotandum est sensationem, ut ex praedictis patet, dupliciter considerari posse : 1° modo prout est modificatio

quaedam subiecti sentientis; 2° modo prout est quaedam repraesentatio rei alterius a subiecto distinctae. Porro sub 1° respectu sensatio vera est ut *res quaedam*, et percipienda obiicitur interno sensui: at sub 2° respectu iterum dupliciter consideratur, scilicet vel quatenus est mera obiecti perceptio, vel quatenus umbram quamdam judicii participat. Sub priori respectu nulli controversiae dat locum; nam in simplici apprehensione rei nec veritas nec falsitas proprie invenitur, sed tantum veritas inchoativa quae in ea numquam deficit, ut supra ostensum est; cum enim vides, v. gr., colorem flavum, in visione illa quatenus ad merum colorem flavum refertur, nullus error fingi potest: etsi enim a parte rei nullum detur fortasse corpus flavum, semper tamen verum erit repraesentationem illam esse coloris flavi et non viridis.

Igitur quaestio tota reducitur ad sensationem quatenus complexa est, seu quatenus iudicium aliquo modo imitatur, propterea quod obiectum non *abstracte* sed *concrete* respiciat, et actu ipso, quem exercet, perceptam qualitatem alicui subiecto tribuat. De veracitate sensationis sic inspectae in praesenti articulo disputamus. — Porro sensus versari possunt aut circa sensibile proprium, aut circa sensibile commune, aut circa sensibile per accidens. Hinc triplex oritur quaestio.

Q. 1. Possuntne sensus falli quoad perceptionem sensibilis proprii?

R. Sensus, si nullum impedimentum adsit in organo vel in medio (impedimentum enim si adsit, ait S. Thomas, non est aliunde nisi aut ex parte

organi aut ex parte medii (Qq. Disp. Quaest. de veritate a. XI.), falli nequit circa sensibile proprium. Nam actus sentiendi ad hoc *naturaliter* tendit ut proprium obiectum detegat, ad quod *per se* ordinatur: consequentia autem *naturalis* a proprio subiecto abesse nequit nisi *per accidens*; eo vel magis quod error eiusmodi refunderetur in Deum si nullo intercedente impedimento sensus natura sua erraret circa *proprium* obiectum.

Q. 2. Possuntne sensus falli quoad perceptionem sensibilis *communis*?

R. Sensus circa *commune* sensibile non falluntur, si *coniunctim* sumantur; nam coniunctim sumpti sunt potentia completa et integra, ideoque circa *commune* sensibile agunt tanquam circa obiectum *proprium*; potentia autem quaevis naturaliter obiectum proprium attingit. — Si vero sumantur *seiunctim*, tunc falli possunt; non enim sensus unus, sed plures, a natura ordinantur ad obiectum illud percipiendum; et consequenter unus sensus non est in eo casu potentia integra; unde falli potest.

Q. 3. Errantne facile sensus circa sensibile *per accidens*?

R. Sensus circa sensibile *per accidens* facillime errant. Cum enim sit tantum per accidens, quod haec vel illa res sit *actuale subiectum* obiecti proprii vel communis sensuum, hinc fit ut si relatio admittatur unius sensus, aliaque rei adiuncta non perpendantur, saepe una substantia cum alia confunditur. Quae tamen deceptio in homine levi negotio vitari potest, nimirum ope rationis, quae

res non modo, sed ipsas sensuum relationes diiudicat.

Difficultates.

D. 1. Sensus non videntur esse veraces; 1.° quia referunt inesse in corporibus colorem, saporem et huiusmodi, quae tamen non sunt in ipsis, sed in sentiente: 2.° quia non dicunt quid qualitates illae sint.

R. Ad 1.um quod duo hic attente sunt distinguenda; nimirum 1.° ipsa coloris aut saporis sensatio; 2.° proprietas aliqua obiecti, quae ad sensationem determinat. Porro sensatio est in sentiente, ut patet; proprietas vero ad sensationem determinans evidenter in corporibus invenitur.

Ad 2.um respondeo, proprium non esse sensuum cognoscere rerum naturas deque iis judicare, sed rationis: sensuum tantum est pronuntiare de obiecti proprii praesentia. Non ergo sensus falluntur si de extraneis nil dicunt.

D. 2. Saltem relatio sensuum non est attendenda circa sensibile *commune* et *per accidens*: nam in eo casu intantum iis haberetur fides, inquantum error unius sensus corrigeretur ab alio: atqui si uni non creditur, nec alteri fides habenda est: ergo.

R. Dicendum quod in ea hypothesi non idcirco admittitur relatio sensuum, quia error unius corrigitur ab alio, sed quia, si rite applicentur, eorum quilibet sine errore fungitur munere suo. — Quod si error exurgat quia forte *integra* facultas non adhibetur, vel quod huius compositae facultatis aliqua pars praeterit fines suos, tunc non

hic vel ille sensus, sed ratio, errorem sensuum corrigere debet, ut per se patet.

D. 3. Attamen, si non ceteri, saltem sensus internus errori obnoxius valde esse videtur; tum quia non percipit impressiones, quae in corpore nostro fiunt a circulatione sanguinis, a pressione aeris, a calore vitali et similibus; tum quia non raro contingit ut cui crus vel brachium amputatum fuerit, is in crure vel brachio nihilominus dolorem sentiat. Atqui prior relatio sensum internum infidelem, posterior ipsum deceptum demonstrat: ergo.

R. Ad 1.um quod ex obiectis ad summum hoc tantum inferri poterit, scilicet sensum internum ad omnia non protendi, quae in corpore nostro gignuntur, sed certis confiniis coerceri: id vero non infidelitatem, sed limitationem importat. — Ceterum circulatio sanguinis et alia huiusmodi, idcirco non sentiuntur, quia, nisi excessu aliquo varientur, ad constantem organorum dispositionem pertinent; sensatio autem non excitatur nisi immutatio quaedam fiat in corpore. — Ne dicam quod non desunt qui putant harum rerum aliquam internam sensionem assidue haberi, debilem quamvis et uniformem, quae ob id praecise conscientiam elabitur; sed de his fusius in psycologia.

Ad 2.um dico quod error huiusmodi non est aliud nisi lusus phantasiae: nam dolor ille sentitur in extremitate nervorum, qui secti sunt: imaginatio autem supplet partem amputatam; et hinc infirmus ob habitudinem praeviam et praesentis status novitatem, ad erroneum judicium proferendum in-

ducitur; eo vel magis quod sensus doloris interni valde per se est confusus, et, quoad limites loci quibus adstringitur, admodum indeterminatus.

Appendix. — *De corporum existentia contra idealistas.*

Cum corporum existentia ex sensuum relatione cognoscatur, hinc veracitate sensuum constabilita, priusquam ad alia gradum faciamus, de existentia corporum disserendum est. Circa hoc autem duo quaeruntur; 1.° an ipsa corpora existant: 2.° utrum mediate an immediate cognoscantur.

§. 1. *De ipsa corporum existentia.*

Q. 1. Existentia corporum indigetne demonstrari?

R. Corporum existentia proprie demonstrari non indiget, cum sit veritas per se nota, et factum experientia compertum. — Haec igitur quaestio instituitur contra Idealistas et procedit per argumentationem, ut aiunt, *ad hominem;* et tota est in eorum sophysmatibus evertendis.

Q. 2. Idealistae quinam sunt, et quid sub nomine idealismi venit?

R. Idealistae dicuntur ii omnes, qui e rerum existentium numero corpora auferunt, eaque in ideis tantum collocant aut animi repraesentationibus. — Eorum autem erroneum systema vocatur idealismus.

Q. 3. Quotuplex idealismus distinguitur?

R. Duplex idealismus distinguitur, nempe vul-

garis et transcendentalis. Vulgaris est qui mundi exterioris existentiam negat, at animi cogitantis existentiam non aggreditur: transcendentalis contra subiectum ipsum cogitans, nedum corpora, inter vanas apparentias reiicit.

Nota. Vulgarem idealismum professi sunt veteres sceptici, eumque instauravit Berckelei: transcendentalem vero excogitavit Kant, eiusque discipulus Fichte illum ad perfectionem adduxit. — Malebranche etsi corporum existentiam admitteret, eam tamen nonnisi ex Dei revelantis auctoritate nobis constare decrevit. Quare ad naturalem cognitionem quod attinet, non modo vehementer arduum esse et periculorum plenum, sed plane animo cerni non posse dixit, sintne corpora.

Q. 4. Quo igitur pacto ad corporum existentiam sartam tectamque servandam contra idealistas procedendum est?

R. Procedendum est per argumentationem *ad hominem*, ut supra diximus, hoc nempe modo. — Concedunt idealistae corporum repraesentationes esse in nobis: porro harum repraesentationum ratio sufficiens assignari debet. Quaenam autem erit ratio sufficiens huiusmodi? Profecto hanc rationem praebebunt vel ipsa corpora in se extantia, vel (si non ipsa), interna animi conformatio, aut subiecti cogitantis voluntas, aut divinus influxus. Aliud medium non datur. Atqui, prima excepta, ceterae causae admitti nequeunt, ut ex dicendis patebit: ergo remanet quod ipsa corpora in se extantia sint causa sufficiens, quam quaerimus.

Q. 5. Quomodo imprimis probatur, causam sen-

sibilium repraesentationum, quae in nobis sunt, esse non posse internam animi conformationem?

R. Sic probatur. Ante omnia, in systemate idealistarum corpora nulla sunt: ex alia parte animus est simplex natura sua, et, si nulla corpora existunt, ipse etiam est corpore omnino expers. — Hoc posito, animus esse nequit causa repraesentationum sensibilium quae in nobis sunt. Revera cum omne ens, omni determinatione extrinseca seclusa, iuxta suam naturam operetur, animus, qui est substantia simplex, nonnisi ad simplicia sibi repraesentanda incitabitur. Atqui e contra animus noster a sensibilibus omnem suam operationem incipit, et circa sensibilia saepius moratur: ergo interna animi conformatio nequit esse causa sensibilium repraesentationum, quae sunt in nobis.

Praeterea si ratio sensibilium repraesentationum esset interna animi conformatio, corpora quae animus sibi fingeret, in abstracto sibi fingeret et quoad conceptum tantum; vel si in concreto, non tamen ut vere, realiter et actualiter existentia, dum in hypothesi idealistarum non extarent: atqui contrarium prorsus contingit; corpora enim animus sibi repraesentat tamquam actualiter et determinate existentia, seu ut actu praesentia; imo ad ea sic sibi repraesentanda se cogi sentit: quae quidem necessitas, in idealistarum systemate, effectus remanet sine causa; non enim dici possunt causa huiusmodi corporum impressiones, quia corpora nulla sunt; nec iterum animus, ex cuius natura huiusce necessitatis ratio frustra quaeritur: ergo.

Insuper si repraesentationes ideales corporum

ab animo tantum determinarentur, corpora non extra ipsum posita, sed potius intra, imo cum eodem confusa, commixta, referri deberent; quod non est ita: nam corpora ut extra nos extantia evidentissime repraesentantur, et quidem differenti loco, situ, ordine et distantia posita; quem ordinem, distantiam, locum et situm iterum animus sentit sibi imponi: ergo.

Tandem quo pacto sine absurditate fingi potest ut harum repraesentationum sit animus tota ratio; et tamen idem animus ac ea quae ipsi insunt, non modo non cogitentur, sed potius cogitentur alia diversa prorsus, imo contraria? Siccine intelligitur lex, qua quaevis determinatio sequitur naturam subiecti, cui innascitur, et causae unde proficiscitur?

Q. 6. Quomodo 2.º probatur, causam sensibilium repraesentationum, quae in nobis sunt, esse non posse subiecti cogitantis voluntatem?

R. Sic probatur. Voluntas cogitantis nequit aliquid velle, quod prius cogitans non cognoverit: atqui in hypothesi idealistarum nec in se nec in suis repraesentationibus corpora essent praecognita: ergo.

Praeterea, voluntas est rationalis, ideoque a ratione aliqua moveatur oportet: at vero quaenam in casu ratio assignari posset, cur subiectum volens corpora, quae nusquam sunt, sibi tamquam existentia et praesentia exhiberet? Num ad sibi illudendum haec fingeret? Nil enim aliud quod iure reponatur, inveniri potest.

Insuper, si repraesentationes corporum a vo-

luntate unice essent, ab ea reapse penderent; ideoque illas pro lubito excitare posset, vel contra subtrahere: saltem numquam in animo illae apparere possent, voluntate acriter repugnante. Atqui voluntate etiam obsistente, passim illae in animo efformantur, ut fit cum praesens est obiectum et sensus applicatur ad ipsum, et generatim cum contra voluntatis propensionem aliqua cogitatio exurgit in animo: ex alia parte non sufficit voluntatis actus, ut repraesentatio obiecti praesentis gignatur, si revera obiectum non sit praesens: ergo.

Q. 7. Quomodo 3.° probatur, causam repraesentationum sensibilium, quae in nobis sunt, esse non posse divinum influxum?

R. Sic probatur. Si Deus esset causa repraesentationum sensibilium, quae in nobis sunt, Is esset causa mendacii. Sic enim sentiendi vim in nobis determinasset, ut quod obiective verum et reale non esset, tanquam reale et verum evidentissime nobis appareret: atqui id dicere de Deo est blasphemum: ergo.

Nec dicas cum Malebranchio id Deo minime repugnare, cum Ipse sit omnipotens: optime enim repugnat potentiae Dei quod eius repugnat veracitati.

Item nihil juvat reponere, hypothesim illam veracitati divinae nil detrahere quia error sensuum corrigeretur a mente: nam imprimis est omnino falsum, errorem sensuum in adversariorum hypothesi a mente corrigi; quin imo mens sensum in suo errore confirmaret; cum revera dicat eius relationibus

standum esse, si rite adhibeatur: deinde vanum prorsus effugium illud est: si enim sensus etsi rite dispositi falli posse dicuntur, cur non ipsa mens? — Ne illud addam absurde omnino fingi, vi unius facultatis *naturaliter* nos inclinari ad judicia, quae, utpote falsa, perpetuo ab alia potentia respuenda forent.

Q. 8. Quaenam est igitur sensibilium repraesentationum, quae in nobis sunt, vera causa et ratio sufficiens?

R. Vera causa et ratio sufficiens sensibilium repraesentationum, quae in nobis sunt, in ipsis corporibus realiter extra nos existentibus est reponenda; quae corpora, quia revera in se extant, per sensiles perceptiones, tanquam vere et realiter extra nos existentia, referuntur.

Difficultates.

D. 1. Existentia corporum non videtur sufficienter adstrui per sensuum relationes; sensus enim sunt fallaces. Ita Malebranchius.

R. Dicendum quod sensus non sunt fallaces natura sua; secus non essent potentiae cognoscitivae veri. Quod si ex aliquo impedimento aut requisitae conditionis carentia falli posse dicuntur, id per accidens est, semperque vitari potest si leges, quibus sensuum perceptio temperatur, rite serventur. Et insuper nota quod ipse error *per accidens* nonnisi raro contingere potest, cum natura ut plurimum non deficiat. Igitur si debitae conditiones serventur, testimonio sensuum standum

est, quorum est tanta evidentia, ut cum alicuius rei evidentiam amplificare volumus, rem cerni oculis et manibus attrectari dicamus.

D. 2. Attamen multa nobis obversantur in somniis, quae deinceps dum vigilamus, falsa esse deprehendimus: quidni igitur suspicabimur, nos in perpetuo somnio versari?

R. Dicendum quod quaestio procedit de vigilantibus, non de somniantibus. Est autem in promptu medium ad secernendam vigiliam a somnio; et hoc medium est conscientia, quae seriem sensationum nostrarum ordinatam, constantem, rationibus sufficientibus fultam referat.

Ceterum argumentum in ipsum Malebranchium retorqueri potest: si enim somniemusne, an vigilemus, ambigitur, ne ipsa quidem Dei revelatio dubium expellet; ipsa enim, ut percipiatur, vigilantes profecto, non somniantes postulat.

D. 3. Si sensus referant, non corpora, quae extra nos sunt, sed tantum internas animi modificationes, incertam relinquent corporum existentiam; atqui ita est: ergo.

R. Dato et non concesso, quod sensibus mediate tantum corpora percipiamus, directe vero internas animi modificationes, semper verum certumque apud nos foret extare corpora extra nos; secus enim repraesentationes sensibiles, quae admittuntur, effectus essent sine causa. — Ceterum suppositum adversariorum falsum est, ut ex §. sequenti patebit.

D. 4. Saltem suspicari semper licebit de aliquo maligno genio, qui nos de industria decipiat.

R. Dicendum quod suspicio huiusm. vana

omnino est, imo impossibilis, tum quia error eiusmodi refunderetur in Deum, a quo sunt potentiae cognoscitivae, tum quia excluditur omnis error a maxima illa evidentia, qua sensuum operationes ornantur. — Insuper si ex timore alicuius maligni genii prudens circa sensuum relationes dubitatio incidere posset, quidni iterum pro sua quoque revelatione illius fraudes Malebranchius non timeret?

D. 5. Existentia corporum detrahere videtur sapientiae Dei; Deus enim, ut sapientissimus, per simplicissima media operatur: est autem simplicius, si solus Deus corporum repraesentationes in nobis producat, quam si id faciat per corpora: ergo corpora redundant.

R. Dicendum quod sapientiae ratio importat quidem ut Deus per media simplicissima operetur; quae tamen fini, qui intenditur, sint proportionata. Porro si solus Deus omnia operaretur, non amplius universi servaretur ordo, qui ex *actione* creatorum agentium exurgit. — Sic igitur verum est repugnare divinae sapientiae quod faciat per plura et grandiora, quae per pauciora et exigua efficere potest, cum scilicet modus et finis est utrobique idem, non vero quum finis et modus diversi sunt ut in re nostra contingit.

D. 6. Evidentia non datur nisi de veritatibus necessariis; sed corporum existentia est veritas contingens: ergo ut inevidens nutat. Ita rationalistae.

R. Nego suppositum. Habetur enim evidentia etiam de veritatibus contingentibus: nam corpora, eo ipso quod sunt, inq. sunt, sine dubio cognosci

possunt. Imo eorum veritas sub aliquo respectu etiam necessaria dici potest, quatenus, etsi non absolutam, hypotheticam tamen necessitatem exhibet, hocce principio fultam, quod aliquid dum est, inquantum est, nequit non esse.

§. 2. *De corporum immediata cognitione contra adversarios.*

Q. 1. Quinam inter philosophos recentiores *immediatam* corporum perceptionem impugnare ausi sunt?

R. Immediatam corporum perceptionem inter philosophos recentiores impugnarunt Cartesius, Lockius et alii, qui immediate et directe, non ipsa corpora, sed nostras modificationes sensibus attingi docuerunt. Sic itaque, sensationibus in mera subiectivitate inclusis, magna inquisitio fieri coepta est de ponte, ut aiunt, qui nos ex sensationibus ad earum obiecta, ut vere existentia, transferret.

Idealismo mature admodum ansam dedit doctrina huiusmodi; viam enim stravit Condillachio ut assereret « corpora quoad nos nihil esse aliud nisi diversas sensationum congeries. »

Q. 2. Quomodo imprimis probatur, sensatione non sensationem ipsam sed obiectum corporeum extra animum positum, directe et immediate attingi?

R. Sic probatur. Sensatio est quaedam perceptio; perceptio autem non datur nisi de re aliqua: atqui haec aliqua res nequit esse ipsa sensatio: nam res percipienda profecto praeexistere debet:

sensatio autem non praeexistit perceptioni alicuius obiecti, cum sit obiecti alicuius perceptio, ut dictum est: ergo si ipsa percipi immediate et directe deberet, praeexisteret ut percipienda, et simul non praeexisteret quia per eam nondum obiectum aliquod perceptum fuisset; quod repugnat.

Hoc posito cuiusnam generis erit illud obiectum sensatione immediate et directe percipiendum? — Non spiritus, ut patet, nec aliqua spiritus affectio; haec enim vim sensationis omnino excedunt. Restat igitur ut sint corpora vel corporum modificationes, vel melius utrumque prout concretum aliquod exhibet.

Q. 3. Potestne 2° cum aliis fingi, quod si non sensatio, saltem species impressa sit id quod sensibus primo attingitur, eaque mediante attingantur corpora?

R. Negative, et hoc propter tria. Primo quidem quia si species impressa esset ratio, cur cogitamus obiectum, profecto similitudo aliqua inter impressionem illam et obiectum, a quo oritur, intercedere deberet; cum ex ea, tanquam ex imagine speculari, corpus ipsi respondens cognoscendum foret. Atqui isthaec similitudo prorsus in casu desideratur; nam species impressa non est imago formalis obiecti, sed est conditio praerequisita ad hoc ut sensus veram speciem seu imaginem obiecti exprimat: ergo. — Quod quidem in sententia adversariorum praesertim locum habet, a quibus ad purum motum impressio organica revocatur; quae enim similitudo fingi potest inter motum et figuram, ac colores, odores aliasque qualitates, quas sensu apprehendimus?

Secundo quia si impressio in organis peracta esset id, quod a sensibus externis immediate percipitur, tunc in sentiendo ad impressionem eamdem, non ad obiectum cogitandum nos incitari primitus deberemus: esset enim signum *ex quo* corpora perciperentur: et hinc ipsa impressio primitus et maxime nota esse deberet: atqui contrarium docet experientia; nam ex una parte, ut quisque in se sentit, primum obiecta, deinde impressionem advertimus; ex alia maior hominum pars ipsam existentiam speciei impressae ignorat; ergo.

Tertio quia in hypothesi adversariorum omnes sensus externi non amplius subsisterent, saltem tamquam *potentiae perceptivae*; quid enim, quaeso, perciperent ?

Ad summum haberi possent tamquam media ad impressiones organicas recipiendas; quibus semel receptis, sufficeret sensus internus ad illas impressiones *percipiendas;* id enim revera interni sensus obiectum est. Unum tantum insuper accedere deberet, scilicet iudicium mentis et ratiocinatio, quae inde existentiam externae cuiusdam causae deduceret: sed hoc idem in ipsa hypothesi adversariorum necessarium esset pro sensibus externis. At vero quantum haec in se sint absurda, nemo nisi amens, non videt.

Evidenter itaque infertur, sensibus externis obiecta ipsa, quae foris sunt, directe et immediate attingi, prout haec sensilibus quibusdam qualitatibus afficiuntur.

Nota. Nihil hic dicimus de impressione illa mere materiali et physica, quam inepte adversarii

confundunt cum specie impressa, quaeque ipsam speciem impressam comitatur; quia talis physica impressio nihil cum perceptione seu cognitione sensuum commune habet: haec enim in organo, ut *mere corpus est*, recipitur, in eoque recipi posset etiamsi principium sentiendi abscederet, dum contra species impressa in ipsam sentiendi vim prout talis est, recipiatur oportet ad hoc ut subiectum sentiens in sentiendi actum prosiliat.

Q. 4. Quid ergo dicendum restat de ponte illo, quem adversarii inquirunt ut per ipsum ex sensationibus mens transeat ad earum obiecta?

R. Dicendum quod ille pons, non inutiliter modo sed absurde quaeritur. Falsum est enim in cognitione a subiecto ad obiectum haberi transitum. Revera sensatio est actio vitalis et immanens, quae proinde in facultate sentiente perficitur. Cum ergo cognitio in eo consistat quod res cognita sit in cognoscente, si pontem ullum quaerere opus est, non ad hoc inquiri debet ut subiectum transeat ad obiectum, sed potius ut obiectum in subiectum introeat. At vero pons huiusmodi ipse sensus est, in quem obiectum ingreditur *per speciem*, quam sensui imprimit actione sua: obiectum enim per se non iungi, sed praesens fieri debet cognoscenti.

Art. 6. *De veracitate conscientiae.*

Q. 1. Potestne demonstrari conscientiae veracitas?

R. Conscientiae veracitas proprie demonstrari nec potest, nec eget; cum sit veritas primitiva:

licet autem eam sic explanare. — Error qui timeretur in conscientiae renunciatione vel proveniret ex alteratione potentiae, vel ex alteratione eius obiecti, vel ex impedimento medii. Atqui 1° conscientia cum sit facultas intellectiva, et non organica, alterari nequit. —Sed neque eius obiectum; haec enim alteratio si daretur, ab ipsa conscientia renunciaretur; nam quidquid variatur in animo, conscientiae obiectum constituit et est; et ita illa eadem alteratio in eius obiectum converteretur. — Tertio tandem neque per impedimentum medii timendus est error, quia conscientia immediate, et non per medium, attingit obiectum suum: ergo.

Quae quidem conscientiae veracitas etiam inde elucet, quod qui eam in dubium vocat, ille sibi contradicat, necesse est. Ut enim dubium eiusm. adstruatur, renunciationi conscientiae standum est: revera qui dubitat, is aut se dubitare conscit, aut non: si non conscit, falso asserit se dubitare; unde enim id novit? Si autem conscit, jam fatetur conscientiae veracitatem; eius enim nixus testimonio aliquid affirmat, illud scilicet dubium, quo pulsatur: ergo conscientiae veracitas eodem tempore, quo impetitur, affirmatur.

Difficultates.

D. 1. Si conscientiae veracitas demonstrari nequit, ergo nutat.

R. Dicendum quod veracitas conscientiae, non secus ac aliarum potentiarum, demonstrari proprie nec potest, nec eget, quia est veritas primitiva.

Quod si omnia demonstranda essent, nulla demonstratio possibilis foret; nam demonstratio quaelibet subaudit quaedam principia certa, nec datur processus in infinitum: quare ponere oportet aliqua principia per se nota, quae demonstratione non egeant. In horum autem numero testimonium conscientiae habendum est, quo nihil intimius et evidentius.

D. 2. Ut certi simus nos conscientiam habere huius vel alterius affectionis, alia indigeremus conscientia; et pro hac iterum alia, et sic in infinitum; quod est absurdum.

R. Dicendum quod alia conscientia opus non est, ut eius prior actus cognoscatur, sed alio conscientiae actu; potest enim ipsa in semet redire, suumque consciendi actum attingere.

D. 3. Conscientia non refert causas internarum affectionum, nec modum, quo excitantur, nec cuius naturae sint manifestat: ergo non est verax.

R. Dicendum quod circa proprium obiectum conscientia non fallitur: quae vero in contrarium afferuntur, non conscientiae, sed rationis obiectum revera sunt.

D. 4. Id, per quod aliud cognoscitur, debet esse notius illo: ergo si animus noster sine alio medio seipsum cognosceret, dicendus esset seipso notior; quod est ridiculum.

R. Dicendum quod in actu conscientiae, quo animus seipsum cognoscit, animus non est id, *ex cuius* cognitione, velut ex principiis conclusio, ipse cognoscatur; sed id, *in quo* ipse cognoscitur; et ita non oportet quod sit seipso notior.

Art. 7. *De veracitate intelligentiae.*

De mentis veracitate, quatenus simpliciter apprehendit, jam supra dictum est: item de eius veracitate, quatenus ratiocinatur, dicemus art.° seq.ti — Hoc loco de veracitate intelligentiae, quatenus judicia immediata profert, disserere iuvat.

Q. 1. Potestne falli mens in proferendis judiciis immediatae evidentiae?

R. Negative; nam quaevis potentia cognoscitiva circa proprium obiectum non fallitur, cum illud ita ipsi se offert ut eius assensum necessitet; secus esset et non esset potentia veri cognoscitiva. Atqui iudicia immediatae evidentiae tum rationalia tum experimentalia sese menti offerunt evidentia praedita (evidentia inquam rationis, si haec oriatur ex immediato nexu idearum; experientiae vero si experientia offerat et manifestet coniunctionem praedicati cum subiecto); evidentia autem assensum intellectus necessitat: ergo in judiciis immediatis tum rationalibus tum experimentalibus mens errare nequit.

Et ad confirmationem adverte in judiciis immediatis rationalibus, praedicatum quod de subiecto dicitur, in ipsa analysi ideae subiecti inveniri: quare ad haec efformanda judicia nil aliud requiritur nisi quod mens ideam subiecti explicet, in cuius analysi invenitur praedicatum. Idest in iis proferendis non aliquid mens creat, aut aliunde acceptum adiungit subiecto, sed tantum relegit et idealiter exprimit, quod ab obiecto immediate ma-

nifestatur. — In judiciis autem syntheticis nil aliud praestare debet nisi quod analysi et synthesi sua ad formam evehat intellectualem id quod perceptione continetur. Idest illud unum tribuere debet subiecto quod evidentia immediata experimentali cum ipso coniungi percipit. Ergo in judiciis huiusm. falli nequit.

Q. 2. Undenam igitur repetendus est error si in intellectu contingat?

R. Error, si in intellectu contingat, ex motione libera voluntatis repetendus est: nam intellectus necessitatur seu trahitur ab evidentia: ubi autem habetur error, evidentia eo ipso deest; nam evidentia cum errore non copulatur: seclusa autem evidentia, non potest intellectus determinari ad assensum, cum ipse liber non sit; eo pari modo quo cessante causa, cessat effectus (et ita ex hac parte nunquam potest intellectus necessitari ad falsitatem): quare si adhuc profertur judicium, restat quod temere illud proferatur ex motione libera voluntatis.

Itaque, ad quaestionem praesentem quod attinet advertendum est erroris absentiam circa huiusm. judicia tunc obtinere, cum mens fideliter id tantum affirmat aut negat, quod reapse idea quam recogitat, vel perceptio concreta sensuum aut conscientiae, immediate ostendunt se includere aut excludere. Si aliud affirmaret aut negaret, deesset evidentia seu non haberetur judicium per se evidens, sed temere prolatum; de qua tamen temeritate quisque non posset non esse conscius.

Difficultates.

D. 1. Veracitas intelligentiae non videtur certa; quomodo enim demonstrari potest nisi subaudiatur intelligentiae veracitas? Sic autem habetur petitio principii.

R. Dicendum quod de intelligentiae veracitate non acquiritur certitudo vi demonstrationis proprie dictae (agitur enim de veritate primitiva), sed vi naturae; quae tamen certitudo naturalis in scientificam convertitur ope reflexionis, qua fundamenta, quibus innititur, et modus quo in nobis gignitur, considerantur.

D. 2. Mens humana est fallibilis natura sua: ergo certitudinem praestare nequit.

R. Dicendum quod mens humana sic ordinatur ad veritatem, ut ab ea non deficiat nisi per accidens: unde natura sua non ad errorem, sed ad veritatem dirigitur. Ipsa vero fallibilitas per *accidens,* non quoad iudicia *immediata,* sed tantum circa *mediata,* ut infra dicemus, contingere potest.

D. 3. Si mens errare nequit circa iudicia immediatae evidentiae, quoad haec, dicenda foret infallibilis; atqui infallibilitas competit soli Deo: ergo.

R. Dicendum quod infallibilitas huiusm., quae competit humanae menti, non est originaria et absoluta, sed relativa et participata; et in eo consistit, quod licet non omnia, aliqua tamen necessario et sine errandi periculo mens cognoscat, qualia sunt principia immediatae evidentiae, et quae ratioci-

natione legitima deducuntur. In ceteris errare potest, quamvis si rite suo lumine utatur, hunc ipsum errorem detegere potest.

D. 4. Ut certo constet de evidentia judiciorum immediatorum, debet id per normam aliquam judicari; atqui hoc est officium non intelligentiae, sed rationis: ergo.

R. Dicendum quod sicut lux alia luce non indiget, qua judicetur, ita dicendum est de evidentia judiciorum huiusmodi; quae evidentia est lux quaedam obiecti et mentis seu cognitionis, ut suo loco dictum est.

D. 5. Evidentia judiciorum immediatorum pendet ab usu attentionis et a debita mentis conformatione: ergo pendet ab aliquo tertio, et ideo talia judicia rationi subduntur.

R. Dicendum quod dependentia judiciorum immediatorum ab attentione et a debita mentis conformatione non est ab his quasi a demonstrationis principiis, sed tamquam ab efficientibus operationis principium rite dispositum. Sunt igitur conditiones praesuppositae, non vero principia deductionis.

Art. 8. *De veracitate rationis.*

Q. 1. Potestne imprimis mens praemissis assentiens conclusioni non assentiri?

R. Mens praemissis assentiens conclusioni nequit non assentiri; et hoc duplici ex capite patet: 1.° quia in asserendis praemissis mens implicite asserit conclusionem in iis inclusam: quare si assensum praestaret praemissis quem postea conclusioni

negaret, idem de eodem simul affirmaret et negaret; quod est absurdum.

Secundo quia contra naturam mentis est a vero evidenti refugere; si vero mens, dum assentitur praemissis, negaret assensum conclusioni, quam ex iis derivari conspicit, a vero evidenti refugeret: ergo. — Hoc posito sit

Q. 2. Potestne mens nostra falli in deducendis illationibus?

R. Mens per se non fallitur in illationibus, seu judiciis mediatis, deducendis: nam deductio est naturalis actus rationis; nulla autem potentia, ut saepius dictum est, a naturali suo actu deficit: ergo.

Potest tamen falli per accidens, inq. scilicet ratiocinationis leges rite non servet: deductio enim eatenus habet certitudinem, quatenus ex praemissis legitime derivatur.

Et tamen menti semper medium in promptu est, quo certior fiat utrum eas regulas, nec ne, servaverit; quod quidem medium in eo consistit ut reflexione sua mens perlustret iter, quod in ratiocinando sequuta est, scilicet resolvendo quaestiones in sua principia.

Q. 3. Ratiocinatio estne medium ad novas veritates detegendas idoneum?

R. Aff.e; mens enim per ratiocinium aut comparatione principiorum inter se, novas eorumdem relationes dispicit; aut comparatione alicuius ideae cum rebus experientia compertis videt in iis concrete reperiri, quod prius in illa abstracte contuebatur. — Imo hoc adeo indubium est, ut nunquam scientiae, nisi ope ratiocinii, novis veritatibus au-

geantur. Revera experientia per se non praebet nisi casus singulares; inductio autem vel in syllogismum resolvitur, vel syllogismo nititur.

Difficultates.

D. 1. Videtur quod ratio non sit verax: si enim talis esset, nullus error in scientiis, nulla inter philosophos discrepantia haberetur.

R. Dicendum quod errores qui habentur in scientiis, non ex defectu rationis, sed ex libertatis abusu repetendi sunt; ex quo fit ut plura iaciantur tamquam principia, quae talia revera non apparent; vel ex praecipitatione aut alio voluntatis vitio legitimae ratiocinationis leges non serventur; unde conclusiones cum principiis non connexae, vel falsis innixae praemissis admittuntur. Hinc etiam potissimum oritur inter philosophos discrepantia.

D. 2. Ratiocinatio a memoria pendet: sed haec est fallax: ergo etiam illa.

R. Dicendum quod memoria, aeque ac quaelibet potentia cognoscitiva, non est fallax si rite adhibeatur: quare falsum est suppositum. — Dato autem quod quandoque errori subsit ob aliquod impedimentum, semper erit in rationis potestate ea, quae memoria refert, ad trutinam revocare, et ita errorem detegere.

Ceterum non semper ratiocinando memoria utimur; nam quum conclusiones ex principiis per se notis proxime deducimus, tunc mens principia et conclusiones in iis inclusas (per modum unius) unico actu et tempore contuetur.

D. 3. Ea potentia nequit esse verax quae contra naturae ordinem procedit; atqui in rationis processu id contingit ; nam natura a particulari ad universale, ratio contra ab universali ad particulare progreditur: ergo.

R. Dicendum quod procedere a particulari ad universale est secundum naturae ordinem cum agitur de rebus percipiendis, quae cognitioni praebent initium; non vero cum agitur de iudiciis inferendis; et ideo obiectio non tenet.

D. 4. Videtur quod ratiocinium non sit medium ad novas detegendas veritates: nam veritas, quam ratiocinii conclusio continet, 1.° iam ante nos cognoscebatur: 2.° et a nobis ipsis erat in principiis iam cognita.

R. Ad 1um dist. Iam ante nos cognoscebatur, sed non a nobis, transeat: et cognoscebatur a nobis, nego. — Transmisimus 1^{am} partem, quia multae sunt revera veritates, quae antea hominibus absolute erant ignotae, ut v. gr. quotidianus scientiarum physicarum progressus demonstrat.

Ad 2um iterum dist. Et a nobis ipsis erat in principiis iam cognita, nimirum implicite, conc.; explicite subd.; quum bina principia per ratiocinii actum combinata sunt, seu peracto ratiocinio, conc.; prius, nego.

D. 5. Instabis. Qui ratiocinium instituit, iam conclusionem cognoscit explicite; et probatur. Finis ante media cognosci debet; sed conclusio habet rationem finis; ergo.

R. Nego ant.^{ens}. Ad probationem, dist. maiorem. Finis ante media cognosci debet quantum sufficit

ad eligenda et adhibenda media, c. M.; ultra hoc, n. M. Et concessa m., eodem modo distinguitur cons.[ens]

Idest ante ratiocinium cognoscenda est conclusio sub ratione generica conclusionis de tali subiecto, cui dubium est quodnam praedicatum conveniat. Et haec cognitio sufficit, ut conclusio determinata quaeri possit.

Appendix ad quatuor praecedentes art.[os]

De Scepticismo.

Demonstrata veracitate nostrarum facultatum cognoscitivarum, de scepticismo facile erit iudicium ferre. Pauca igitur de ipso dicenda sunt.

Q. 1. Quid est scepticismus et quosnam habuit Auctores ?

R. Scepticismus est error ponentium, nil a nobis posse certo cognosci, eo quod media homini ad cognoscendum data certitudinem gignere nequeunt.

Auctores scepticismi inter veteres habentur Pyrro (ex quo pyrronismi nomen), et Sextus cognomento *empiricus*, qui omnium maxime scientifico apparatu, si ita loqui fas est, scepticorum causam defendendam suscepit. Inter recentiores illum plus minus professi sunt Baylius, Hume, Kant, Fichte aliique e postrema schola sophystarum transcendentalium.

Q. 2. Quotuplex est scepticismus ?

R. Scepticismus est duplex, nempe particularis et universalis. Particularis est, qui non de om-

nibus dubitat, sed vel de rebus tantum sensu perceptis, vel de solis obiectis naturalibus, exclusis iis, quae auctoritate divina firmantur: universalis contra in eo est ut omne reiiciat certitudinis principium, atque ideo dubia omnia ac incerta declaret.

Porro scepticismus particularis iam suo loco superius refutatus est, et data opportunitate ulterius refutabitur. — Hic scepticismus universalis impetendus est.

Q. 3. Potestne ergo admitti scepticismus ex vera animi sententia?

R. Scepticismus ex vera animi sententia non solum admitti nequit, sed imo chimaera est aut certe delirium. Et sic probatur.

Quod ex necessitate naturae procedit, removeri nequit: atqui huiusmodi est certitudo quoad obiecta quae ab aliqua facultate vel immediate percipiuntur, vel ex principiis legitima ratiocinatione inferuntur. Revera omnis potentia sicut necessario movetur a proprio obiecto ipsi sufficienter proposito, ita in eius adeptione necessario conquiescit: sed certitudo est huiusmodi mentis quies in cognitione obtenta: ergo mens nequit non consequi perceptionem veritatis et certitudinem. — Et hinc efficitur ut ii omnes, qui scepticismum profitentur, sibimet passim, in praxi saltem, contradicant.

Q. 4. Quomodo probatur scepticos universales, non solum operatione profiteri certitudinem quam verbis negant, sed etiam sibimet dissidere, quatenus in oppugnatione ipsa dogmatismi se dogmaticos faciunt?

R. Sic probatur. Sceptici in oppugnatione dogmatismi ratione tamquam veri pedissequa continue utuntur; deinde dum asserunt nos in omnibus decipi, cunctasque nostras cognitiones inania esse phantasmata, non paucas statuunt veritates, v. gr. sui existentiam, facultates cognoscendi, deducendi, repraesentationes diversarum facultatum etc. etc., quas profecto non possent dictitare fallaces nisi has subaudirent.

Quin imo scepticismi adsertores in ipsa dubitatione quam adstruunt, veritatem includant necesse est: nam eo ipso quod dubitant, indubie statuunt veram esse hanc propositionem « de omnibus dubitandum esse ». Atqui eo ipso veritatem dari generatim subaudiunt: ergo. — Apposite S. Augustinus: « Regulam ipsam, quam vides, concipe hoc modo: omnis qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, et de hac re quam intelligit, certus est. De vero igitur certus est. Omnis igitur qui dubitat utrum sit veritas, in se ipso habet verum unde non dubitet; nec ullum sine veritate verum est. Non itaque oportet eum de veritate dubitare qui potuit undecumque dubitare. » (Lib. De vera religione c. 37. n. 73.).

Similiter ex ipsa dubitatione, quam sceptici tuentur, ostendi potest eos conscientiae testimonium inconcussum habere. Hoc autem admisso, de scepticismo actum est. Perbelle iterum Augustinus: « nam et nos sumus, et nos esse novimus et id esse et nosse diligimus. In his autem tribus nulla nos falsitas verisimilis turbat. Non enim ea, sicut illa quae foris sunt, ullo sensu corporis tan-

gimus... sed sine ulla phantasmatum imaginatione mihi esse me, idque nosse et amare, certissimum est. Nulla in his veris Academicorum argumenta formido dicentium: quid si falleris? Si enim fallor, sum: nam qui non est, utique nec falli potest; ac per hoc sum, si fallor. Quia ergo sum si fallor, quomodo me esse fallor, quando certum est me esse si fallor? *(De Civ. Dei,* lib. II, c. 26).

Quod si conscientiae etiam testimonium detrectabunt, tunc ex alia parte destruetur systema, quatenus labefactata conscientia, ipsa etiam corruet dubitatio: ergo quocumque se vertent, proprium systema diruent.

Q. 5. Estne possibilis disputatio cum homine, qui perfectum scepticismum sive sincere, sive simulate profiteatur?

R. Negative; nam omnis disputatio principiis certis inniti debet, imprimisque illi, quo veritatem certo nos posse assequi statuamus. Atqui scepticus universalis tum hoc, tum quidquid ad veritatem pertinet non admittit: ergo.

Quapropter quoad disputationem cum scepticis, haec attente retine: si ipsi aliqua tamquam firma et indubia, seque in vigilia et sanos esse concedunt, ac proinde perfectum pyrronismum non sequuntur, tunc ex iis quae admittunt, rite coargui poterunt, demonstratione saltem *ad hominem.* Sin contra omnino de omnibus dubitare se profitentur, observandum erit utrum ludicre an serio id dicant; et si ludicre dicunt, ludicre etiam irridendi sunt; sin autem serio, tunc non philosopho, sed medico, ut curentur, tradendi erunt, tamquam mentis egeni.

Difficultates.

D. 1. Scepticismus videtur esse probandus: prudens est enim de omnibus dubitare ut ita error omnis et praeiudicium vitetur. Nam qui de omnibus dubitat, ab omni errandi formidine vivit securus.

R. Dicendum quod prudentia non docet dubitandum de omnibus, nempe etiam de certissimis veritatibus, quae vel immediate patent, vel ratiocinatione legitima deducuntur; sed de incertis tantum: in his enim, non vero in illis aliquis error timendus est. — Insuper admitti nequit quod qui de omnibus dubitat, ab omni errandi formidine sit securus; in hoc enim is maxime errat quod de iis quoque dubitat, de quibus dubitare non licet; dubium autem universale est omnium errorum maximus.

D. 2. Demonstrari nequit veritatem esse: ergo de eius existentia dubitandum est.

R. Dicendum quod veritatis existentia est aliquid per se notum, et omnis cognitionis principium; et consequenter existentia veritatis demonstratione non eget, sed ad summum reflexa explanatione.

D. 3. Scepticus universalis refutari nequit: ergo eius status immobilis est, ac proinde verior.

R. Dicendum quod scepticus universalis refutari nequit, non quia sit optima eius conditio (cum in pura negatione quoad veritatem versetur), sed quia rationi nuncium misit; hinc est quod nulla ex parte veritas illi ostendi potest.

CAPUT III.

De veritatis criterio.

Hactenus de veritate et de mentis humanae statibus quoad ipsam, nec non de mediis, quae nobis suppetunt ad veritatem assequendam: nunc de veritatis criterio disserendum est.

Q. 1. Quid est criterium veritatis?

R. Criterium seu iudicatorium, iuxta vim nominis, est instrumentum seu medium iudicandi.

Q. 2. Quotuplex est criterium?

R. Criterium est duplex; nempe criterium *per quod*, et criterium *secundum quod.*

Criterium *per quod* est ipsa facultas, qua de veritate iudicamus; nimirum intellectus latissime sumptus, seu tam intuitivus quam discursivus; de cuius veracitate iam supra egimus, nec ulli amplius controversiae dat locum. — Criterium vero *secundum quod* est id, a quo rationem iudicandi petimus, seu ad quod in iudicando respicimus, seu est ratio productiva assensus; aut etiam principium vel ratio quae in nobis certitudinem parit; quae nos certiores reddit de veritate iudiciorum nostrorum.

Q. 3. Quotuplex est criterium *secundum quod?*

R. Criterium *secundum quod* iterum est duplex, nimirum intrinsecum et extrinsecum. Quandoque enim propositioni alicui assentimur *propter eius evidentiam intrinsecam,* quae nobis affulget; et talis eius cognitio praebet certitudinem *scientificam*:

quandoque vero assentimur propositioni alicui propter motiva *extrinseca*, quae propositionem illam evidenter credibilem faciunt, etsi rationem intrinsecam illius veritatis minime intueamur; et cognitio huiusm. praebet certitudinem fidei sive divinae sive humanae.

Q. 4. Quomodo haec tractatio dividitur?

R. Tractatio haec ita dividitur, ut 1.° de criterio interno: 2.° de criterio externo sermonem faciamus.

Art. 1. *De criterio interno.*

Circa supremum et tempore primum criterium veritatis internum non eadem fuit philosophorum sententia. Alii enim criterium vere internum penitus negaverunt; alii contra, illud quidem asserentes, criterium tamen falsum aut defectuosum, etsi internum, proposuere. — Quare hic 1.° exponenda sunt atque refutanda eorum systemata, qui internum criterium excludunt: 2.° existentia seu necessitas alicuius criterii interni veritatis constabilienda est. Qnibus peractis, 3.° erunt referendae ac refellendae sententiae eorum, qui criterium aliquod defectuosum, internum licet, propugnarunt: 4.° tandem doctrinam veram circa supremum et tempore primum criterium veritatis internum exponemus ac confirmabimus. — Primo autem muneri satisfacient tres priores §.[1]: 2.° quartus; 3.° tres sequentes: 4°, octavus et ultimus.

§. 1. *De doctrina Huetii circa supremum veritatis criterium.*

Q. 1. Quid docuit Huetius circa supremum et tempore primum veritatis criterium?

R. Circa supremum et tempore primum veritatis criterium Huetius docuit, illud non posse esse nisi divinam revelationem; ipse enim nil omnino a nobis certi, nisi vi eiusdem divinae revelationis, haberi posse putavit.

Itaque is excludit criterium supremum internum, qui in re rationi nostrae extrinseca illud collocat.

Q. 2. Quid de hac doctrina dicendum est?

R. Dicendum est divinam revelationem esse non posse nec unicum nec tempore primum veritatis criterium.

Et probatur 1ª pars, nempe quod divina revelatio non sit unicum veritatis criterium. Id, quod per se non praebet nisi fidem, nequit esse unicum veritatis criterium; secus de scientia omnino actum esset; nam per fidem obiecta non intuemur, sed credimus: sed divina revelatio per se non praebet nisi fidem: ergo.

Praet. illud nequit esse unicum veritatis criterium, quod per se notitiam *certam* veritatis *aliunde* habitam postulat: atqui divina revelatio ita se habet: ipsa enim tamquam certa haberi nequit, nisi nostra saltem existentia, et existentia Dei eiusque veracitas praesumatur; quae veritates, si

praesumuntur, nonnisi per aliud criterium comparari possunt: ergo.

Et hinc etiam patet 2ª pars, nimirum divinam revelationem esse non posse criterium primum *quoad tempus*. Revera nequit esse veritatis criterium primum, quoad tempus, illud cuius usus praeviam aliarum veritatum certitudinem requirit: atqui revelatione divina uti non possumus, nisi eam hominibus illuxisse et ab omni falsitate esse liberam iam ante sciamus (quod nisi mediante alio criterio, ut patet, scire nequimus): ergo praeter divinam revelationem necessario aliud veritatis criterium, quod tempore illam praecedat, agnoscendum est.

§. 2. *De doctrina Lamennesiana circa supremum veritatis criterium.*

Q. 1. Quid docuit Felicitas De-Lamennais circa supremum veritatis criterium?

R. Felicitas De-Lamennais circa supremum veritatis criterium docuit, fulcrum totius certitudinis, quoad nos, in auctoritate et consensu generis humani (quem sensum communem appellat) reponendum esse. — Statuit enim rationem individualem ad *dubitandum* solummodo idoneam esse, nec quidquam posse per se cum certitudine acquirere. — Unam itaque eamque infallibilem veritatis regulam esse consensum humani generis, cuius testimonium ipsius Dei testimonium est; quatenus ratio universalis verbo manifestata est verbum Dei ipsius, primitiva quadam revelatione una cum sermone homini communicatum.

Q. 2. Quid de hac doctrina dicendum est?

R. Haec doctrina nullo modo probari potest; 1.° quia falso prorsus nititur fundamento, nempe essentiali fallibilitati omnium facultatum nostrarum cognoscitivarum; quod quam longissime aberret a veritate, iam supra capite praecedente, ubi de earum facultatum veracitate egimus, satis ostensum est.

Secundo quia mutuo pugnantia iungere invicem frustra contendit. In hac enim sententia ponuntur universi homines et scire et discere ac docere posse, sublata illis antea facultate ipsa sciendi, ac discendi, nec non docendi: quomodo enim homines assererent cum certitudine id de quo dubitarent? Aut quomodo responsa aliorum colligerent, eorumque sensa cum certitudine assequerentur, si discentes omnes essentialiter essent fallibiles? Sic ergo criterium huiusm. se ineptum prodit tum ex parte eorum, qui universalem consensum praebent, tum ex parte eorum, qui illum communem consensum colligunt.

Nec in medium afferre iuvat divinam revelationem: eam enim esse non posse primum, quoad tempus, criterium, iam ex praecedente §.° abunde patet.

Ceterum ex principiis ipsis Domini De-Lamennais eiusdem criterium funditus evertitur: nam iuxta ipsum, illud est unice ac certe veritatis supremum criterium, quod tale esse communis dictat consensus: atqui consensus communis non in communi consensu criterium veritatis supremum reponit; nam universalis consensus ultro fatetur, posse homines

veritates non paucas, v. gr. existentiam propriam, cum certitudine acquirere absque medio universalis consensus: ergo.

Tandem illud non potest esse unicum et supremum veritatis criterium, ex quo maior pars hominum in perenni dubio relinqueretur, et vi cuius eruditissimi tantum aliquam certitudinem, eamque solum post longum tempus et labores innumeros adipisci possent: atqui ita est de criterio Lamennesiano; ex quo sapientes dumtaxat, et post longum tempus et studium et quoad pauca scibilia, quid circa ipsa senserit humanum genus vel nunc temporis sentiat, vix detegere possent: ergo.

Brevius: criterium Lamennesianum non respondet necessitati humanae naturae; ergo nequit esse criterium veritatis supremum et unicum.

§. 3. *De doctrina scholae sentimentalis Germaniae circa supremum veritatis criterium.*

Q. 1. Quid docet schola sentimentalis Germaniae circa supremum veritatis criterium?

R. Schola sentimentalis Germaniae, auctore Iacobi, normam veritatis supremam in affectiva animi propensione reperiri opinatur.

Doctrina huiusmodi fructus est scepticismi et desperationis cuiusdam, qua rationi diffidentes eiusdem Auctores, in iis praesertim quae vim sensuum excedunt, ad interiorem quemdam animi sensum et affectionem, velut ad anchoram, confugiunt; et tamquam verum habendum esse dicunt, quod affectus interior tum approbat tum propensione quadam amplectitur.

Q. 2. Estne probanda doctrina huiusmodi?

R. Doctrina huiusm. nullo modo probari potest. Revera assensus mentis nostrae, utpote qui est a subiecto rationali, alicuius rationis aut motivi cognitione eget, a quo determinetur: cum enim operatio specifica semper naturae respondeat subiecti operantis, absurde poneretur, subiectum intelligens alicui propositioni adhaerere, quin rationem, quae eius assensum iustificaret, reapse cognosceret. Atqui affectus animi caecus est, ideoque nullum motivum percipere potest, quo determinetur reapse ad assensum, et quo assensus eiusm. actio fiat respondens naturae subiecti intelligentis: ergo impossibile prorsus est in affectu supremum veritatis criterium reponere.

Insuper si affectus necessitate iis obiectis ipsi adhaeremus, ad quae affectivus impetus urget, quid inde? Consequiturne idcirco ea esse vera quibus adhaeremus? Necessarium quidem ita credere nobis erit; sed utrum reipsa obiecta vera in se sint, nos absolute semperque latebit.

Praeterea criterium veritatis aliquid obiectivum et immutabile praebere debet; nam veritas est absoluta et eadem pro omnibus: atqui affectus est maxime subiectivus; variatur enim pro varietate subiecti, seu pro eius physica constitutione, phantasia, aetate, cupiditatibus, praeiudiciis etc.: ergo.

Tandem id nequit esse rationis norma, quod a ratione ne deerret, temperari debet: atqui affectus talis est; ipse enim, utpote caecus, gubernari a ratione debet, ne plurium errorum origo fiat et radix: ergo.

§. 4. *De necessitate alicuius interni criterii veritatis.*

Q. U. Estne necessario admittendum aliquod veritatis *internum* criterium?

R. Internum aliquod veritatis criterium necessario admittendum est. Revera nos de rebus non modo fidem habemus, sed etiam scientiam, nimirum notitiam, quae certitudine simul et evidentia fruitur: atqui huiusm. notitia *evidens* rerum haberi nequit nisi obiectum propriis et internis momentis fultum proponatur, ac proinde non per *externum* quoddam criterium, sed per *normam intrinsecam* iudicetur: ergo criterium veritatis *internum* necessario admittendum est.

Praeterea intellectus est facultas idonea ad veritatem intime scrutandam: ergo si veritas rite intellectui proponatur, nequit eidem non apparere: sed obiectum quod apparet et se manifestat facultati cognoscitivae, hoc ipso iudicatur per normam aliquam; ergo.

Sic itaque aliquod veritatis internum criterium necessario admittendum est.

Quoniam vero, ut supra diximus, non omnes qui internum criterium admittunt, circa rem tandem in qua reponendum est, conveniunt; hinc 1.° systemata erronea circa hanc materiam afferemus et refutabimus; deinde in quo criterium veritatis internum revera ponendum sit, declarare et confirmare curabimus.

§. 5. *De criterio Cartesiano.*

Q. 1. Quid docuit Cartesius circa supremum veritatis criterium?

R. Cartesius docuit supremum veritatis criterium esse *ideam rei claram et distinctam*; ita ut criterium eiusm. non sit nisi affectio subiecti et qualitas cognitionis, et, quod consequens est, subiectivum.

Q. 2. Quid de hoc criterio Cartesiano dicendum est?

R. Criterium Cartesianum nullo pacto admitti potest. Revera criterium causa est seu principium, quod certitudinem gignit; vel etiam est id, per quod intellectus quiescit in veritate. Atqui non perceptio id praestat, sed ipsa veritas intellectum irradians; dum contra perceptio clara et distincta effectus est ipsius veritatis intellectum irradiantis, et non ipsa veritas intellectum irradians.

Et declaratur. Obiectum proprie id est quod entitate sua debito modo intellectui proposita rapit et cogit intellectus assensum: non secus ac, quoad sensum, cibus est id, quod pascit ac quiescit potentiam gustus; nam veritas intellectui est cibus. Equidem obiectum ut vim huiusm. exerceat, percipi debet et clare percipi; quemadmodum cibus opportune applicandus est sensui gustus, ut eius quietem determinet; sed semper tamen obiectum est, quod intellectui vim facit, entitate sua et veritate: entitate sua, inquam, cuius iunctio cum intellectu, mediante actu cognoscitivo, pascit et explet eius potentiam. Quapropter perceptio clara

et distincta requiritur quidem tamquam conditio *sine qua non*; non vero ut causa efficiens, neque ut ratio formalis, quae certitudinis principium constituit.

Itaque vel in hypothesi quod omnis idea clara et distincta semper iungatur cum veritate, systema Cartes'i falsum est. Quemadmodum enim falso diceretur: radius solis semper cum sole coniungitur; ergo radius est causa solis: sic falso pariter affirmaretur: idea clara semper coniungitur cum veritate; ergo idea clara est causa seu regula veritatis. Et sane claritas cognitionis ipsane est principium aut regula realitatis et veritatis obiecti, an ex adverso obiecti realitas id est, quod entitate sua, menti opportune apparente, determinat cognitionem claram, eoque clariorem quo convenientius obiectum ipsum proponitur? Profecto hoc postremum dices; non secus ac vere assereres splendorem solis determinare visionem claram, et non viceversa claritatem visionis determinare splendorem solis.

Quae omnia sic aliis verbis et brevius exprimes. Veritas est mensura cognitionis humanae (in rebus naturalibus), et non e contrario cognitio humana est mensura veritatis. At vero Cartesiana sententia cognitionem humanam facit mensuram veritatis eamque ita aequiparat cognitioni divinae; nam quemadmodum dicimus, rem aliquam esse veram, prout conformis est intellectui divino, sic dicere oporteret, propositionem aliquam esse veram vel falsam, prout esset vel non esset conformis cognitioni humanae. Et sane non licet Cartesio

dicere, hanc vel illam propositionem esse veram vel falsam, quia res est evidens, sed tantum quia sic et non aliter sibi videtur.

Et haec quidem in ipsa hypothesi, quod omnis idea clara et distincta, ut supra diximus, continuo vera praesupponatur. At, characteribus omnibus absolutis et obiectivis in Cartesiano systemate deficientibus, quo pacto id tandem constabit? Ideae omnes, quae clarae et distinctae putantur, eruntne semper proprie ac vere tales? An forte impossibile est ut quae huiusmodi mihi apparent, non ita sint nisi effimere ac apparenter? — Insuper quomodo eos coarguam, qui forte ideas quas ipse claras voco, obscuras praedicent?

Quae iterum brevius aliis verbis sic exprimi possunt. Criterium veritatis nequit constitui in re mutabili et abusui valde obnoxia: atqui idea clara et distincta Cartesii reapse est huiusmodi; hanc enim (criterio obiectivo deficiente) quisque pro lubito aut illusione mentis iactare posset quoad rem falsam, aut inficiari quoad veram: ergo.

§. 6. *De doctrina Galuppii circa supremum veritatis criterium.*

Q. 1. Quid docuit Galuppius circa supremum veritatis criterium?

R. Galuppius docuit supremum veritatis criterium in conscientiae testimonio reponendum esse.

Q. 2. Potestne probari sententia huiusmodi?

R. Sententia huiusm. probari nequit: 1.° quia ipsum conscientiae testimonium debet norma aliqua iudicari; ideoque esse non potest criterium primum.

Secundo quia criterium universale et ultimum veritatis per se pertinere debet ad cognitionem tum reflexam, tum directam: respicere debet non subiectum tantum, sed etiam, imo primitus, obiectum, et quidem non quoad solam *existentiam*, sed maxime quoad *essentiam*. Atqui conscientiae testimonium de factis tantum *internis* nos certos reddit, et *existentia* cogitationum, quibus afficimur: unde actus est qui *reflexione* constat, solius *experientiae* ambitu coercetur, atque ad *subiectum* ipsum cogitans totus, quantus est, refertur: ergo.

§. 7. *De doctrina Malebranchiana, Rosminiana, et Giobertiana circa supremum veritatis criterium.*

Q. 1. Quid docuerunt Malebranche, Rosmini et Gioberti circa supremum veritatis criterium?

R. Malebranche, utpote qui omnia in Deo a nobis perspici assereret, supremum veritatis criterium rationes aeternas divinae mentis esse docuit.

Rosmini illud reposuit in idea entis possibilis; Gioberti in idea entis realis.

Q. 2. Quid de huism. sententiis dicendum est?

R. Dicendum quod sententiae huiusm. tum experientiae tum rationi repugnant. — Experientiae quidem; quia iuxta hasce respective sententias, mens nostra, ut rei alicuius certitudinem assequeretur, deberet sic procedere. Scilicet, proposito obiecto, statim ad eius typum vel in divinis ideis, vel in actu creante, vel in idea entis possibilis deligendum recurrere deberet; ac post eius comparationem cum re

iudicanda, sic ipsi esset ratiocinandum: quidquid e rebus creatis convenit typo in divinis ideis vel in ente reali aut possibili relucente, verum est: atqui hoc obiectum reapse illi typo convenit; ergo est verum ac proinde in eius cognitione possum secure conquiescere. At vero id nullo modo contingit hominibus, qui non modo eorum typorum visionem non experiuntur, sed ad eorum existentiam detegendam nonnisi ratiocinio quoad typum Malebranchianum et Giobertianum, et abstractione a singularibus quoad Rosminianum, se adduci sentiunt: ergo.

Rationi vero repugnat quam maxime, ut in psychologia, ubi de origine idearum agemus, fuse demonstrabimus. — Hoc unum hic adnotare sufficiat, haec omnia systemata ex ignoratione naturae facultatis cognoscitivae ortum sumere. Nam facultas cognoscitiva hoc ipso quod obiectum *proportionatum praesens* habet, ipsi adhaeret et in eo conquiescit, cum eo pervenerit quo tendebat. — Quia vero haec quies, non a deliberatione quapiam, sed a constitutione et natura ipsius facultatis procedit (nam in omni mobili cessat motus, adepto termino); hinc facultas cognoscitiva, non ratiocinatione aut collatione uti debet cum typo aliquo, ut dicat: ergo quiescamus; sed plane conquiescit pondere ipso, quo fertur ad obiectum sibi congruum: ergo non anticipatio aut usus typi cuiusdam ad certitudinis genesim explicandam requiritur, sed sufficit proportio naturalis facultatis cum obiecto, et huius actualis adeptio.

§. 8. *De vera doctrina circa supremum veritatis criterium.*

Q. 1. In quo igitur supremum veritatis criterium reponendum est?

R. Supremum veritatis criterium *in evidentia rei obiective et ontologice spectata* reponi debet, ut iam ex praedictis arguitur et mox probabimus.

Attamen priusquam quaestionem aggrediamur, quid proprie pro hac evidentia obiective et ontologice spectata intelligatur, dicendum est.

Itaque adverti imprimis debet quod evidentia, iuxta vim nominis, nihil est aliud nisi obiecti perspicuitas, seu *eminens* quaedam ac *prominens* visibilitas, qua obiectum quasi *ultro* se porrigit intuendum. — Quae visibilitas triplici ex capite oritur, nempe 1.° ex realitate ipsa obiecti: 2.° ex opportuna lucis copia, quae obiectum illustret: 3.° ex actu, quo obiectum luce sua vim visivam percellit.

Atqui haec tria, ut patet, ad intelligibilia optime extenduntur. Nam et in iis tria illa inveniuntur elementa; hoc est 1.° rei veritas, quae respondet realitati: 2.° motiva veritatem per se notam vel rite demonstratam manifestantia, quae respondent luci: 3.° ipsa manifestatio motivorum intellectui, quae respondet actioni lucis in sensum visus.

Et hinc consequenter habes, quod evidentia est in *obiecto*, et intuentem afficit, et a visione distinguitur, ut causa ab effectu.

Unde argues tandem evidentiam *obiective et ontologice spectatam* non esse nisi *obiecti realitatem*, quatenus menti fit praesens et innotescit. — Fit praesens, inquam, et innotescit: evidentia enim quae criterium sit veritatis, necessario talis est ut ad cognoscentem referatur: nam mens a realitate ac veritate obiecti moveri nequit, nisi ab ea rapiatur; rapi autem ab ipsa nequit, nisi menti manifestetur.

Q. 2. Quomodo, hisce praeiactis, probari potest criterium veritatis, in genere inspectum, esse ipsam rei evidentiam obiective et ontologice spectatam?

R. Sic probatur; idest 1.° ex loquendi usu, qui duo praedicta confirmat, nempe evidentiam esse in obiecto, non in subiecto, et veritatem fieri necessario intelligibilem *evidentia*. Dicimus enim, quoad 1.um, veritatem, falsitatem, propositionem, demonstrationem, imo meritum, periculum, innocentiam, crimen, iniuriam esse evidentem, hoc est evidentes esse propositiones, in quibus haec asseruntur: at nemo dicit, ego sum evidens, quemadmodum dici ex adverso solet, ego sum percipiens, certus, dubius, quia istae sunt affectiones subiectivae. Huc quoque pertinent illa: sentire vim evidentiae, evidentiam percipere, evidentiae resistere et alia huiusmodi. — Item, quoad 2.um, dicimus: nos cogi ab evidentia, evidentiam insilire in oculos, vel nolentem convincere etc. — Et hinc fit ut homines reprehendant et obiurgent eos quibuscum loquuntur aut disputant, si eos videant non intelligere quod evidens est, quia nempe est impossibile id non intelligi. Et hinc etiam contingit ut homines de-

clinare se putent onus demonstrandi quum dicunt: *hoc est evidens:* ergo ex communi loquendi usu evidentia obiective et ontologice considerata est supremum veritatis criterium.

Probatur 2.° ratione. Ex obiecti manifestatione gignitur naturaliter certitudo (intrinseca); eam enim manifestationem consequitur quies resultans in potentia ex eo quod suum terminum attigerit, seu (hic) obiectum perceperit. At vero hic effectus (certitudo) causam subaudit: quidnam erit igitur causa huiusmodi? Causa huiusmodi, scilicet criterium, erit id, quod in ea manifestatione extorquet et regit mentis assensum; atqui id quod in tali manifestatione extorquet et regit mentis assensum non est aliud, nisi ipsa entitas obiecti, quatenus menti fit praesens et innotescit; quae quidem obiecti entitas menti praesens non est aliud nisi evidentia obiective et ontologice considerata, ut dictum est: ergo.

Et sane, si sedulo investigemus motivum, quo adducimur ad assensum certum in quovis iudicio praestandum, videbimus profecto in evidentia ontologice inspecta consistere; ad eam enim respicimus in iudicando, et ex ipsa rationem petimus iudicii, quod proferimus. Revera veritas, cui ex motivo interno assentimur, vel est aliquid per se patens, vel aliquid ratiocinatione deductum. In 1.° casu, veritas per se patens non aliter menti satisfacit, nisi quatenus intuenti animo *semetipsam evidenter* offert; in altero, motivum assensus est principium immediate notum, cum quo veritas illa *evidenter* connectitur. Ergo in utroque casu entitas

ipsa rei, prout perspicua menti fit, seu *evidentia obiective et ontologice spectata*, est ratio, quae certitudinem in nobis parit.

Difficultates.

D. 1. Videtur quod evidentia non sit criterium veritatis: huiusmodi enim criterium confunderetur cum Cartesiano.

R. Dicendum quod evidentia in sensu exposito distinguitur a criterio Cartesiano ut obiectivum distinguitur a subiectivo. Revera Cartesiani evidentiam sumunt subiective et psychologice, idest quatenus confunditur cum idea mentis clara et distincta, et vim quamdam ineluctabilem exerit in animo. At nos evidentiam sumpsimus obiective et ontologice, nimirum pro obiecti ipsius realitate et veritate, quae vim habeat se manifestandi intellectui, et actu hanc manifestationem exerceat. Unde doctrina Cartesii absurdam Protagorae sententiam renovat statuentis scientiam nostram esse mensuram obiecti; dum nostra e contrario obiectum facit mensuram scientiae. Hoc autem dumtaxat modo scientiae valor potest esse absolutus, et scientia eadem haberi apud omnes.

D. 2. Si nomine evidentiae intelligitur ipsa veritas obiecti, quatenus menti patet, tunc propositio affirmans criterium veritatis esse evidentiam, aequivalet huic: veritas est criterium veritatis; quae propositio tautologiam involvit.

R. Cum distinctione: aequivalet huic « veritas obiectiva est criterium veritatis subiectivae, concedo; veritas obiectiva est criterium veritatis obie-

ctivae, nego. Scilicet quando quaerimus criterium veritatis, loquimur de ratione quae in nobis certitudinem parit, seu quae nos certiores reddit de veritate iudiciorum nostrorum; non autem de veritate rei, cuius criterium et norma est divina idea, cui illa per se et essentialiter conformatur.

D. 3. Evidentia potest esse vera vel falsa: ergo nequit esse criterium veritatis.

R. Cum distinctione: evidentia sumpta in sensu subiectivo et psychologico potest esse vera vel falsa, transeat; sumpa in sensu obiectivo et ontologico, nego: sic enim notas ipsas obiecti, quod percipimus, contuemur, et erroris periculum omnino vanescit. Et sane vel agitnr de evidentia immediata, vel de mediata. Prima respicit factum per se praesens, vel propositiones in quibus praedicatum est identicum cum subiecto; et in his mens non fallitur, ut supra dictum est. Si vero evidentia est mediata, tunc etiam error nequit intercedere, si ratiocinium ad trutinam revocetur, et illatio in principia, a quibus deducitur, resolvatur.

Art. 2. *De criterio veritatis* externo.

Q. 1. Estne admittendum aliquod externum criterium veritatis?

R. Criterium aliquod veritatis externum necessario admittendum est; nam plura sunt quae captum nostrum omnino excedunt, quaeve locorum dissociatio, aut temporum lapsus nobis absentia facit. Haec vero aliter scire non possumus, nisi ex aliorum, qui ea noverint, testimonio. Et hinc

a natura insita nobis est propensio quaedam ad fidem ceteris adhibendam; et hinc etiam habetur externum veritatis criterium, nimirum testantis auctoritas, quae in certis rerum adiunctis ad plenam certitudinem nos adducere potest.

Q. 2. Quid est igitur testis et quotuplex: quid pro testificatione vel testimonio intelligitur?

R. Testis est, qui aliquid, tamquam a se cognitum, alteri quocumque signo manifestat.

Quum de factis agitur, duplex est, oculatus vel auritus, prout propriis oculis, vel ex aliorum narratione rem cognovit.

Testificatio vel testimonium est ipsa actio, qua testis rem testatur.

Q. 3. Quid est, et quid producit testis auctoritas?

R. Testis auctoritas est vis fidem imponendi; seu est vis testificationis, qua testis movet ad assensum rei assertae.

Producit vero fidem, quae est assensus, quo vera esse tenemus, quae dicuntur, propter dicentis auctoritatem. Hic autem assensus potest esse certus vel tantum probabilis prout excludit vel non excludit omne dubium.

Q. 4. Undenam vis oritur auctoritatis?

R. Vis auctoritatis evidenter ex *scientia* rei enarratae, quam testis possidet, et ex eius *veracitate* repetenda est.

Q. 5. Quotuplex est testificatio seu testimonium?

R. Testimonium, si spectes personam testantis, est duplex, *divinum* nempe et *humanum*. Potest enim Deus, et possunt homines nos docere quae

sciunt, ac nos ignoramus. — Si vero testimonii materiam consideres, tunc aliud dicitur *dogmaticum*, cuius materia est veritas ad scientiam pertinens; aliud *historicum*, cuius materia est aliquod factum. — Hinc ergo triplex criterium exurgit, nimirum divina revelatio, testimonium hominum generatim et testimonium doctorum. De hisce igitur singillatim tribus §.is agendum est; quibus ultimus §.us addetur de sensu communi naturae.

§. 1. *De auctoritate divini testimonii.*

Q. U. Quaenam est auctoritas divini testimonii?

R. Auctoritas divini testimonii talis est, ut quaecumque Dei docentis testificationi innituntur, sive dogmata sint, sive facta, auctoritatem habeant infinitam, omnique dignam mentis obsequio. Revera Deus non modo absolute et essentialiter dicendus est infallibilis, sed imo est ipsa veritas: unde repugnat omnino, ut vel decipi vel decipere possit: ergo quaecumque Deus revelet, plusquam metaphysica gaudent certitudine.

Patet autem quod si quaedam revelentur a Deo, ea tuto ab hominibus apprehendi poterunt per media ab Ipso electa et adhibita ad imponendam fidem. Si enim secus esset, id vel ex eo repetendum foret quod Deus nollet, vel ex eo quod Deus non posset scopum revelando sibi praefixum attingere; quod est blasphemum.

At vero per miracula et prophetias praesertim se loqui Deus testificatur; quae quidem signa, utpote facta maximi momenti, facillime esse cognoscibilia nemo non videt.

Et haec generatim dicta hic sufficiant; nam utrum Deus reapse supernaturaliter veritates aliquas manifestaverit, ac miracula edita, et prophetiae ad earum veritatum confirmationem expletae fuerint, non huius, sed alterius disciplinae investigare proprium est.

§. 2. *De auctoritate humani testimonii quoad facta.*

Q. 1. Debetne admitti, quoad facta, humanum testimonium tamquam externum veritatis criterium?

R. Consentiunt omnes testimonium humanum, quoad facta, admittendum esse tamquam veritatis externum criterium; scilicet quotiescumque sciri certo possit, testes aliquod factum narrantes nec in errorem quoad se incidisse, nec alios ullo modo velle decipere. Ex quibus habes, scientiam testium eorumque veracitatem duo esse fulcra, quibus fides, quae humano testimonio adhibetur, innititur.

Q. 2. Quomodo generatim constabit, reapse testes praedictis duabus ornari dotibus, ideoque eorum testimonium plenam fidem facere?

R. Id generatim constabit, si communiter testes sint plures, et unanimiter, quoad eius substantiam, conveniant in facti enarratione. — Et revera cum testes sunt plures et unanimiter conveniunt, quoad substantiam, in facti enarratione, si eorum testimonium erroneum praesumendum foret, hoc vel ideo esset quod ipsi in facto apprehendendo erravissent, vel ideo quia conspirassent simul ad ceteros decipiendos. Atqui neutra hypothesis admitti rationa-

biliter potest. Non 1.ª: non enim nisi absurde fingi potest, quod plures testes vel in sensoriis organis omnes vitium habeant, vel vitio eodem simul omnes laborent. Unde impossibile est ut hominum multitudo circa apprehensionem alicuius obiecti sensibilis decipiatur; homo enim etsi individualiter falli posse dicatur, non est tamen fallibilis nisi fallibilitate abstracta et remota, quae ratione circumstantiarum impediri potest quominus in actum prodeat, et revera impeditur in multitudine, seu cum testes sunt plures. — Item neque 2.ª hypothesis est rationabilis; cum enim homines sponte et natura sua verum ament, scrutentur et amplectantur, tamquam omnino veraces habendi sunt, nisi forte ex passione aliqua eos ad mentiendum adduci constet. Atqui ubi testes habentur plures et unanimes, id nullo modo evenire potest: nam passiones pro individuis variae sunt, imo saepe oppositae, ita ut quod uni placet, non placeat alteri, et si forte cuipiam mendacium prosit, alteri nocet; et si hi passionum affectibus abripiuntur, alii contra veritati postponunt omnia: ergo impossibile est quod hominum multitudo in id conspiret ut errorem testetur: hinc notum illud « nemo omnes, neminem omnes fefellerunt ».

Quod si praeterea *evidenter* appareat, *testes nullimode potuisse ad mentiendum adduci,* quatenus rem apud illos confirment, quorum intersit mendacium detegere, quique facile id possint, *sumptis etiam de mentiente poenis*; — si ii, qui debent, et possunt impune mendacium detegere, non contradicant; — si facti enarratio talis sit quae non commoda et honores, sed nocumenta potius testi

afferat, v. gr. bonorum iacturam, infamiam, tormenta, mortem etiam; tunc *longe certius* erit testem ad factum enarrandum nulla cupiditate moveri potuisse, ideoque vera narrasse; *nemo enim gratis est malus.*

Item vis testimonii humani magis magisque roborabitur, si quoad testantium scientiam, factum sit huiusmodi ut ipsis nullo negotio rite innotescere potuerit; nimirum si agatur de facto simplici, perspicuo, cognituque facillimo, quod contuentium attentionem excitet; et, quoad veracitatem, si agatur de testibus qui singulari prudentiae iustitiam coniungant praecellentem: quo in casu vel unus testis plenam fidem aliquando facere poterit.

Itaque, cum de scientia testium deque eorum veracitate non raro constare possit, quis neget in hisce casibus humanam auctoritatem posse plenam fidem facere, ac proinde veram certitudinem omne prudens dubium excludentem suppeditare?

Attamen nota, quod non omnia praedicta adiuncta semper et ubique sunt necessaria, ut plena evadat auctoritas, sed haec vel illa plus minus pro rei opportunitate et usu, iudicio prudentum, ut per se patet.

Q. 3. Auctoritas, si non sit plena, habetne aliquem usum et utilitatem, ad praxim praesertim quod attinet?

R. Auctoritas, etsi non plena, est tamen maximi usus et utilitatis, ad praxim praesertim quod attinet. Cum enim certitudo non in omnibus obtineri possit, hinc in pluribus probabili regulae adhaereamus oportet, et merito: nam in auctoritate

etiam non plena dignoscere non difficulter possumus, utrum testis ea prudentia et iustitia instruatur, vel saltem versetur in talibus circumstantiis, ut errandi periculum admodum probabiliter vitare potuerit, et ad mentiendum non inducatur: tum vero auctoritati fides habenda est, nisi intolleranda mentis pertinacia peccare velimus.

Q. 4. Possuntne occurrere adiuncta eiusmodi, ut auctoritas certitudinem praebeat praestantiorem certitudine morali?

R. Etsi çertitudo quam gignit humana auctoritas, per se moralis sit, utpote quae fundatur in legibus quae humanos mores gubernant; possunt tamen quandoque eiusm. occurrere adiuncta, ut si quis in iis casibus mendacium praesumat, suppositio illa sit metaphysice absurda. Finge, v. gr., mendacium esse quod omnes asserunt, existere Romam. Sequeretur inde magnam hominum partem me unum velle decipere; quod est *moraliter* impossibile. Sed insuper cum hic consensus, absque praevia conspiratione habere locum nequiverit; ex alia parte conspiratio huiusmodi certissime non adfuerit, iam patet mendacium quod supponimus, effectum esse absque causa. Atqui effectus talis metaphysice est impossibilis: ergo. — Et idem dic quotiescumque suppositio habita divinam tolleret providentiam, vel generatim veritatem aliquam metaphysice certam impeteret.

Difficultates.

D. 1. Videtur quod plurium testium auctoritas non sit maioris ponderis quam auctoritas unius; nam homo quilibet natura sua fallibilis est, et ideo etiam collectio plurium; quod enim convenit partibus, convenit etiam toti, nec ipsa collectio tollit testium naturam.

R. Cum distinctione. Homo natura sua fallibilis est, nimirum est homini naturalis fallibilitas *abstracta* et *remota*, quae ratione circumstantiarum impediri potest, quominus in actum prodeat, conc.; naturalis est ipsi fallibilitas huiusmodi, quae actu fallat, et nunquam, ne in actum exeat, impediatur, nego. — Revera capacitas deficiendi homini naturalis in hoc consistit, ut nisi certa caveantur impedimenta, deficere homo possit. Habet igitur conditionem, quae tolli potest, et revera tollitur saltem in collectione plurium, qui unanimes quoad substantiam testantur factum aliquod, ut ex praedictis patet.

Ad id ergo quod additur de fallibilitate collectionis, iterum distinguendum est. Collectio plurium fallibilis est fallibilitate, de qua *constat non esse ad actum reductam*, quando nempe ex dictis auctoritas plena est, conc.; de qua id non constat, nego. Et tandem, quod convenit partibus, convenit etiam toti, cum sermo est de perfectione aliqua, transeat; cum sermo est de defectu, subd.: quod convenit partibus simul sumptis, convenit etiam toti, conc.; quod convenit partibus seorsum ac-

ceptis, iterum subd.; si collectio nihil confert ad defectum impediendum, conc.; si confert, nego.

Et consequenter testimonium collectionis fallibilis non praebet certitudinem, si sit fallibilitatis eiusm., quae pro rei adiunctis ad actum reduci possit, conc.; secus nego.

D. 2. Quilibet testis non praebet nisi probabilitatem: ergo in collectione nonnisi summa probabilitatum habetur, quae nunquam in certitudinem mutari potest.

R. Dicendum quod auctoritas singulorum hominum seorsim sumpta communiter probabilitate dumtaxat fruitur, quatenus plerumque constare non potest, ab uno homine errorem et mentiendi voluntatem revera abfuisse: si enim de hoc constaret, tunc unus testis, non minus quam multitudo, certitudinem veram praeberet. Atqui de hoc optime et indubie constat, cum plura individua diversorum studiorum etc. et quoad substantiam facti enarrati inter se convenientia, testantur aliquid, ut ex rationibus in thesi expositis patet: ergo eorum testimonium non summam tantum probabilitatum, sed summam certarum responsionum exhibet.

§. 3. *De auctoritate virorum sapientum et in arte peritorum quoad dogmata.*

Q. U. Quaenam est auctoritas testimonii virorum sapientium et in arte peritorum in re scientifica?

R. Auctoritas virorum sapientum et in arte peritorum in re scientifica est eiusmodi, ut 1.° pro

rudibus norma sit, cui *omnino est acquiescendum;* 2.° pro doctis et eruditis grave quidem habeat pondus, ea tamen rationi cedat.

Probatur 1.ª pars. Rudes veritatem scientificam per se detegere aut demonstrare nequeunt: ergo nisi illius notitia destitui malint, omnino oportet ut in actoritate fide dignorum conquiescant, de quorum scientia et veriloquio prudenter dubitare non possint. Hinc illud: « Peritis in arte credendum est. »

Et hic rite nota quod pro rudibus non hoc loco intelliguntur ii dumtaxat, qui simpliciter rudes nominantur, sed etiam ii omnes cum proportione qui tales sunt respectu huius vel illius scientiae determinatae, quarum notitia privantur; v. gr. musicus vel geometra respectu medicinae et theologiae; nam in hisce casibus etiam musicus et Geometra Theologo aut medico credant oportet.

Deinde apprime advertendum est quod quia veri nominis sapientes nunquam suas amplectuntur sententias, nisi gravibus momentis fultas eas prius agnoscant; hinc rudes eorum auctoritati adhaerendo ita adhaerent, ut revera iis tandem rationibus et momentis innitantur credendo.

Probatur 2.ª pars. Et inprimis quod sapientium auctoritas, etiam apud peritos in eadem scientia, grave habeat pondus, per se patet. Cum enim in more sapientium sit, ut iam diximus, opiniones suas non amplecti, nisi post longum studium, comparationes et considerationes diutinas, hinc praesumptio, pro veritate sententiarum, quas tandem amplectuntur, aperte militat. Et hoc quidem eo

magis obtinet, quo plures ac graviores numerantur auctores in eamdem convenientes sententiam. Quare cum nobis ratio aliqua occurrit, quae consensioni sapientium opponitur, non illico pro illius rationis valore temere standum est, sed levitate animi reiecta, ratiocinia, a quibus pendet, erunt accuratius perpendenda, ut sic demum appareat, utrum ratio illa auctoritati plurium sapientium opposita veram nec ne sibi vindicet evidentiam.

Quod si ratio huiusmodi auctoritatis pondus sua luce exsuperare tandem inveniatur, tunc auctoritas utique rationi necesse erit ut cedat; non enim auctoritas vim aliter habet imponendi fidem nisi qnatenus veritatem cum possidet, tum praesefert.

Generatim autem pro doctis et in arte peritis rationi auctoritas cedit, quia hoc hominum genus in disciplinis, quibus dant operam, non quaerunt fidem sed scientiam, quae non auctoritate nititur sed rationum momentis; et insuper quia ipsi utpote in ea rerum speculatione versati, idonei sunt ad ea omnia perpendenda argumenta, quae pro veritate illa afferuntur. Haec igitur docti homines possunt et debent prudenter exquirere, nec aliorum fidere pronuntiatis more pecudum et sine causa.

§. 4. *De sensu communi naturae eiusque auctoritate.*

Q. 1. Quid venit sub nomine sensus communis?

R. Sub nomine sensus communis *obiective* sumpti veniunt iudicia illa stabilia, uniformia, com-

munia, quae in toto extant hominum genere, nec aetate contabuere, sed cum ipsis saeculis quodammodo inveterarunt, quaeque communes sententias appellavit Aristoteles. Huiusmodi sunt illa: existunt corpora; leges naturae sunt constantes: Deus existit; cultus ipsi impendendus est; honestum a turpi distinguitur; colendi sunt parentes; animus humanus fato corporis est superstes; praemia iustis, poenae nocentibus in futuro aevo retribuentur, et alia eiusdem generis. Pro sensu communi *subiective* sumpto quid intelligi debeat, dicemus infra.

Q. 2. Quibusnam characteribus ornantur iudicia sensus communis?

R. Iudicia sensus communis, ut iam superius innuimus, ornantur 1.° universalitate, diuturnitate, constantia: 2.° convenientia cum rationis principiis, quibus si comparantur non evanescunt, sed imo elucescunt magis: 3.° exclusione ceterarum causarum, ex quibus repeti posset eorum origo; cuiusmodi esset ignorantia, praeiudicium, corruptela morum, superstitio, utilitas conquisita et similia. Hisce igitur notis iudicia sensus communis secernuntur ab aliis.

Q. 3. Undenam iudicia sensus communis originem sumere dicenda sunt?

R. Iudicia sensus communis nonnisi a natura rationali proficiscuntur. Nam, cum omnis effectus causam sui et quidem proportionatam subaudiat; principia huiusmodi, quae sunt effectus universalis, permanens, uniformis, causam universalem, permanentem et uniformem omnino requirunt: atqui

huiusm. causa in homine (a quo ea iudicia procedunt), non est nisi eius natura: ergo.

Q. 4. Quid intelligitur pro sensu communi *subiective* sumpto; et quid dicendum de iis qui sub eius nomine vim quamdam venire docent ab intelligentia et ratione diversam?

R. Pro sensu communi *subiective* sumpto intelligitur illa ipsa vis, a qua iudicia laudata proficiscuntur; quae quidem non est profecto nisi hominis ratio prout unanimiter sponte sua in eiusm. iudicia prorumpit.

Nec audiendi sunt qui vim aliam diversam a ratione sub eius nomine venire docent. Hoc enim idem esset ac instaurare Reidianum commentum, quo suggestio quaedam et caeca naturae inspiratio inducitur, a qua cogimur ad quaedam affirmanda ac pro certis habenda non ut per se immediate evidentia, vel comperta experimentis, aut ratiocinio derivata, sed instinctive et irrationaliter. Quod manifeste contra naturam rationis est, quae si ratio dicitur, rationaliter operari debet.

Ast, inquiunt, quomodo in hac sententia poterit explicari nimia illa facilitas, qua etiam rudes, non minus quam docti, in eiusmodi iudicia, etiam difficiliora prorumpunt?

Huic argumento imprimis respondemus, adversarios difficultatem eorum iudiciorum nimis iusto exaggerare. Si enim res accurate considerabitur, profecto patebit, iudicia illa faciliora esse fortassis, quam putantur, et rudium captum communiter non excedentia: porro et ipsi ratione pollent; materia vero circa quam ea iudicia versantur, non

adeo recondita est ut intellectivam vim communem exsuperet. — Nec obstat quod ratiocinia huiusmodi (certe vulgari et imperfecto modo contexta, propter disciplinae carentiam), sibi ipsis rudes vel aliis explicare nesciant; certe enim multo facilius est aliquam actionem exerere quam ipsam enucleare.

Ceterum si quae iudicia sint communem captum exsuperantia, horum optime originem primitiva explicabit revelatio; quin sit necesse ad Reidianum commentum recurrere, quod quantum pugnet cum recta ratione, cum quisque videt, tum suo loco demonstrabitur.

Q. 5. Quaenam est auctoritas sensus communis?

R. Auctoritas communis sensus talis est, ut veram praebeat certitudinem, et sit externum veritatis criterium. Revera iudicia sensus communis falso subesse nequeunt; haec enim a natura proveniunt, ut dictum est, seu a ratione hominis, quae per se ad verum tendit. — Neque hac in re error aliquis ex contingenti aliqua causa aut impedimento superveniente pertimescendus est; abunde enim et evidenter ex characteribus, quibus illa ornantur iudicia, et potissimum ex eorum universalitate, omne periculum errandi xcluditur; ergo.

CAPUT IV.

DE UNIVERSALIBUS.

Hactenus de veritate disseruimus, deque variis humanae mentis statibus, quoad ipsam; item de mediis ad eam acquirendam idoneis eorumque veracitate, necnon de veritatis criterio; cuius ordinis rationem ex ipso mentis nostrae fine desumpsimus, scilicet veritate.

At quoniam veritas perfecta, ut iam diximus, vel in axiomatibus continetur, vel ex iis derivatur; axiomata autem ex conceptibus exurgunt; hinc, ut tutior latiorque via aperiatur scientiae, in triplicem mentis humanae operationem redeuntes, ventilabimus 1.° doctrinam circa obiecta simplicium mentis conceptionum, seu agemus de universalibus: 2.° de axiomatibus: 3.° de scientia ipsa, quae in iis fundatur; et tandem 4.° de methodo seu de via in iisdem scientiis percurrenda. Quae omnia quatuor capitibus expedientur.

In praesenti autem pertractabimus de universalibus; et quia circa hanc materiam non pauci multimodis erraverunt, hinc nos, consueto ordine procedentes, dicemus 1.° quid universalia non sint; deinde vero quid sint, et ubinam sedem habeant.

Art. 1. *De falsis philosophorum sententiis circa universalia.*

Falsae opiniones, quae circa naturam conceptuum universalium a philosophis inventae sunt, ad

tres potissimum reduci possunt, nempe ad nominalismum, ad conceptualismum et ad realismum exaggeratum. De iis dicendum tribus §^is^.

§. 1. *De Nominalismo.*

Q. 1. Quid est Nominalismus?

R. Nominalismus est doctrina eorum, qui universalia non admittunt nisi in meris vocibus. — Ad horum autem originem explicandam siystema huiusmodi statuit, vocabula prius solis individuis singularibus applicata, dein successiva *extensione* ad alia individua iis similia denotanda suam significationem amplificasse; et sic gradatim tandem communia evasisse. — Ita opinati sunt veteres sensistae, et media aetate Roscelinus, et hac nostra Dugald-Stevart.

Q. 2. Quid de hoc systemate dicendum est?

R. Systema huiusmodi evidenter absurdum est; 1.° quia universalitas illa, qua eo in casu gauderent vocabula, nullo pacto ut vera universalitas haberi posset; nam individua cognita, quotquot sint, numerata sunt: at universalitas vera, non omnia cognita tantum, sed omnia etiam existentia, imo et omnia possibilia sub se includit: ergo.

Secundo quia vocabula, cum sint signa idearum, universalia esse nequeunt, quin universales prius sint ipsae ideae, quas illa exprimunt; secus enim aliquid poneretur in signo ut tali, quod non esset in re, cuius est signum; quod est absurdum. Et tamen id aperte docet systema huiusmodi.

Tertio, quia cum nomen novis individuis ap-

plicaremus, vel ratio applicandi adesset vel non. In hoc postremo casu nomen illud ex impositione omnino arbitraria nullo modo fieri posset commune: in priori autem, nempe dato quod ratio adesset, iam hoc ipso *idea* universalis, et universale obiectum in ratione illa individuis communi repositum, affirmaretur; quod quidem nominalismum destrueret.

§ 2. *De Conceptualismo.*

Q. 1. Quid est Conceptualismus?

R. Conceptualismus est systema eorum, qui universalia admittunt in vocibus et in ideis, at nullo modo in rebus. — Haec doctrina nominalismus mentalis dici potest; et antiquitus a Stoicis, media autem aetate ab Abailardo tradita est; cui tandem nostris temporibus accesserunt Kantiani.

Q. 2. Quodnam iudicium ferendum de hoc systemate?

R. Hoc etiam systema nullo pacto probari potest; nam 1.° sicut vocabula sunt signa idearum, ita ideae seu conceptus sunt signa rerum: atqui nihil in signo ut tali admitti potest, quod aliquo modo in re, cuius est signum, non reluceat: ergo necesse est universalitatem, eo ipso quod est in conceptibus, aliquo modo etiam in rebus esse.

Secundo idem probatur ex eo, quod scientia est simul de universalibus (particularia enim sunt obiectum historiae), et simul de rebus, non de conceptibus. Ergo ut salvetur utrumque, nempe quod scientia sit simul de universalibus deque rebus, universalia etiam in rebus aliquo modo esse necesse est.

Tertio probatur idem ex eo, quod, ut conceptuales concedunt, nos percipimus individua convenire inter se. Porro si hoc admittitur, oportet ut percipiamus in iis aliquid, quod aeque omnibus inest, et per se non differt in singulis; atqui hoc est concipere universale, quod utique est aliquid commune pluribus: ergo.

§. 3. *De realismo exaggerato.*

Q. 1. In quo consistit systema realismi exaggerati?

R. Systema realismi exaggerati in hoc consistit, quod universalia, quae a nobis percipiuntur, esse ponantur extra mentem *formaliter* seu prout *actu* universalia sunt.

At vero hoc systema non uno modo explicatur a realistis exaggeratis. Nam imprimis Platonici asserebant, nos, quum notionibus communibus afficimur, intueri *formas aliquas universales et per se subsistentes.* — E contrario moderni ontologi putant, intuitum illum nostrum ad divinas ideas directe et immediate in se contemplandas converti. — Tandem Guglielmus Champeaux ipsas res existentes universales esse dixit, quatenus in essentia, quae omnibus communis est seu iuxta ipsum pro omnibus *realiter* una *numero,* non differrent, sed tantum in accidentibus, quibus individua singula determinantur.

Quam doctrinam Almaricus De Bene et David de Dinant ad purum Pantheismum, cuius germina continebat, propulerunt; eosque nostris temporibus sequuti sunt realistae transcendentales.

Q. 2. Estne probandus realismus Platonicus?

R. Realismus platonicus probari nequit. Et 1.° quia, praeterquamquod intuitio illa formarum universalium et per se subsistentium asseritur gratis, insuper repugnat in se; nequeunt enim formae illae platonicae directe perspici, si in se non subsistant: atqui ita est; in re enim non existunt nisi individua; universalia autem, ut sic, non sunt nisi in mente, ut infra videbimus: ergo.

Secundo quia sicut datur universalis conceptus substantiae, ita et accidentis. At in sententia platonica cuilibet conceptui universali respondet forma per se subsistens: ergo accidentis etiam erit forma per se subsistens: porro quis non videt accidens per se subsistens esse accidens non accidens, seu meram contradictionem? Et tamen id recta sequitur ex doctrina platonica.

Tertio quia in platonica hypothesi scientia nostra nunquam esset de rebus, scilicet individuis, mutabilibus, temporaneis, concretis, quae hunc mundum efformant, et quas scire ipsi credimus; sed de aliis longe diversis, impassibilibus, aeternis, ab omni concretione solutis, sc. de iis formis universalibus et per se subsistentibus, quas nemo tamen se intueri sentit. Quomodo autem novimus hasce res ipsas, quae nos circumstant?

Dicet fortasse aliquis, nos intueri quidem formas illas platonicas universales et per se subsistentes; dein vero ex earum contemplatione devenire ad scientiam rerum, quae apud nos sunt, propter similitudinem, quam has inter et illas intercedere conspicimus. — Sed contra. Ut similitudo huiusm.

concipiatur, non aliud suppetit medium nisi quod *mediante abstractione* percipiamus individua apud nos extantia quoad *principia essentialia seclusis iis*, quibus *in propria individualitate determinantur;* ut enim appareat singulare hoc vel illud convenire cum sua respective essentia separata, profecto necesse est, ut huius vel illius individui essentia, seclusis individuationibus, cum essentia universali et per se subsistente rite comparetur. Atqui si id nobis licet, iam per huiusm. abstractionem habetur universale, quin alias formas universales et per se subsistentes imaginari oporteat: ergo.

Q. 3. Estne admittendus realismus Ontologorum ?

R. Realismus Ontologorum admitti nequit. Revera nos praedicamus per *identitatem* de singularibus illud ipsum, quod in conceptibus universalibus intuemur; ut cum dicimus « Petrus est homo » affirmamus de individuo Petro illam ipsam naturam humanam, quae obiectum est notionis universalis (intellige universalis directi), qua concipimus hominem. Si autem, ut volunt Ontologi, obiectum ideae universalis est idea divina, sequitur quod praedicemus *identitatem* inter divinas ideas et individua creata. Sic propositio « Petrus est homo » non differret ab alia « Petrus est idea divina; » quod ad Pantheismum recta ducit.

Et id multo magis elucet, si advertamus dari conceptum universalem cum corporis v. gr., tum entis, ac iuxta Ontologos conceptum illum entis referre Deum etsi confuse spectatum. Iam, quaeso,

cum dicimus « Sol est ens » num putamus cum Sole Deum identificari? Et tamen id fluit ex doctrina Ontologorum, idest in hypothesi quod obiectum ideae universalis entis sit ipse Deus.

Si dicas, per intuitionem divinarum idearum non concipi a nobis divinas ideas sed obiecta per illas ideas repraesentata, seu res quae apud nos sunt, tunc eo ipso Ontologorum systema ruit; nam in eiusm. hypothesi non amplius habetur obiectum universale, sed universaliter concipiendum a mente.

Q. 4. Quid tandem dicendum de realismo exaggerato?

R. Realismus exaggeratus maxime absurdus dicendus est. Revera si individua quoad *realitatem* essentiae (quae nempe sit *realiter* una *numero*) inter se non differunt, sed tantum in accidentibus, tunc necessario admittendum est commentum Pantheistarum transcendentalium *unicam* ponentium absolutam realitatem, quae se multifariam explicando et determinando res omnes mundanas constituat: sicut enim singuli homines unica constarent humanitate, ita singula entia una constarent entitate; quemadmodum enim habemus ideam universalem hominis, ita etiam entis. Atqui conclusio huiusmodi est pantheistica: ergo.

Praeterea, si universalia sunt in rebus *formaliter*, tunc naturae humanae v. gr. existenti in Petro competeret universalitas: ac quoniam universale individua omnia complectitur, hinc Petrus esset omnes homines, et ita Paulus non esset homo. Insuper natura Petri iisdem omnibus ornaretur dotibus, quae rationem universalitatis consequun-

tur; v. gr. esset aeterna, immutabilis, abstracta a loco, quantitate, figura, ceterisque notis individuantibus; quod est ridiculum: ergo.

Observatio.

Ex quibus patet, vitium potissimum tribus hisce systematibus commune in eo esse, quod tamquam causam universalium assignent unum elementum dumtaxat, subiectum scilicet ut faciunt duo priora, aut contra obiectum, ut in tertio videre est: dum e contrario duo hac in re necessario iungenda sunt velut concausae ad efformanda universalia, obiectum nimirum et mens, ut mox videbimus. Nec id mirum alicui esse debet quod scilicet mens aliquo modo operari debeat ad sibi parandum obiectum; non enim haec ad instar sensus, qui obiectum iam de se promptum subaudit, passiva est; sed tamquam potentia superior, tum agit quatenus obiectum suum cognoscit, tum etiam quatenus sibi illud praeparat *quoad modum*, quo ipsum attingit, ut dicetur infra.

Art. 2. *De vera doctrina circa universalia.*

Doctrina Scholasticorum circa universalia, quam ipsi sequimur, dici potest realismus temperans. Haec vero rite exponi nequit, nisi distinctior notitia praecedat de duplici universali, directo nempe et reflexo; unde sit

§ 1. *De duplici universali, directo et reflexo.*

Q. 1. Quid intelligitur pro universali directo et quid pro reflexo?

R. Pro universali directo, sic appellato quia *directa* intuitione concipitur, intelligitur quidditas *considerata unice per se,* nullo habito respectu ad individua, ad quae sic abstracta referri potest. — Pro reflexo autem, sic nominato, quia ex consideratione *reflexa* resultat, intelligitur illa eadem quidditas *comparata* cum individuis existentibus vel possibilibus, ad quae ea natura relationem includit: qua reflexa cognitione essentia illa concipitur tamquam *unum* habens ordinem ad plura, seu ut forma quae reperiri potest in hoc vel illo individuo, quin unquam quoad suam amplitudinem exhauriatur.

Q. 2. Hoc nomen « universale » competitne potius universali directo an reflexo?

R. Hoc nomen « universale » competit magis universali reflexo, quam directo. Revera universale dicit unum versus alia vel omnia, seu dicit unum respiciens plura, habitudinem habens ad plura: atqui hoc *explicite et positive* competit universali reflexo, quod *actu* refertur ad individua; directo autem *implicite et negative,* quatenus natura illa seu forma, per se et absolute spectata, ad nullum individuum coarctatur, et solum aptitudinem habet, ut deinceps reflexione mentis referatur ad omnia individua existentia vel possibilia: ergo.

Q. 3. Universale directum et universale reflexum dicuntne unum, an plura, an utrumque?

R. Universale directum, licet quoad conceptum formalem quo constat, includat unitatem (est enim conceptus unius essentiae), tamen quoad *rea-*

lem individuationem, non dicit neque unitatem neque multitudinem; ab ea enim omnino praescindit.

Contra universale reflexum, cum iam involvat relationem ad singula, unitatem dicit et multitudinem; unitatem *quoad se*, multitudinem quoad terminum suae relationis: consideratur enim ut natura seu forma, quae apta sit inveniri in pluribus individuis, saltem possibilibus, tamquam id in quo individua non differunt, sed *conveniunt*.

Q. 4. Universale reflexum quidnam addit supra universale directum?

R. Universale reflexum includit directum, eique superaddit relationem ad individua, ita ut consideretur tamquam aliquid unum commune pluribus. Hinc pro varietate huius relationis dividitur in quinque praedicabilia, quae sunt genus, species, differentia, proprium seu attributum et accidens, de quibus in 1.ª p.ᵉ logicae dictum est. Quare species v. gr. et genus proprie exprimunt universale reflexum. Directum non proprie est genus vel species, sed principium generis, vel speciei, quatenus exhibet elementum illud obiectivum, quod continetur in notione generica vel specifica.

Q. 5. Quod praedicatur per identitatem de particularibus estne universale directum an reflexum?

R. Quod praedicatur de particularibus per identitatem est universale directum, seu est elementum illud obiectivum, quod continetur in notione generica vel specifica, sine ratione universalitatis quam deinceps mens eidem adiungit ad concipien-

dum universale reflexum: illudque elementum obiectivum exprimit naturam per se, quae sic inspecta indifferens est inveniri in uno aut in pluribus; nam si necessario exigeret esse in uno, nunquam inveniretur in pluribus; si vero exigeret esse in pluribus, nunquam inveniretur in uno.

§ 2. *De sede utriusque universalis.*

Q. 1. Ubinam existit universale *reflexum?*

R. Universale *reflexum* existit in mente, et non existit nisi in mente.

Probatur 1.ª pars. Universale reflexum est quidditas quaedam seu essentia vel forma, prout recogitatur a mente, et comparatur cum individuis existentibus vel possibilibus: atqui obiectum recogitationis et comparationis mentalis est aliquid iam cogitatum, seu aliquid iam existens in actu mentis: ergo.

Probatur 2.ª pars. Universale *reflexum* exprimit aliquid commune pluribus: atqui nihil eiusmodi est in rebus; siquidem in rebus, quidquid est, individuum est ac singulare: ergo.

Q. 2. Ubinam existit universale *directum?*

R. Universale *directum* existit in rebus, *quoad id quod concipitur;* non vero *quoad modum*, quo concipitur.

Probatur 1.ª pars. Nisi id quod concipitur, idem esset cum entitate rei, quae extra nos est, nunquam posset affirmari de ea per identitatem; atqui haec affirmatio locum habet; vere enim dicimus: Petrus est homo: ergo universale directum,

quoad id quod concipitur, unum idemque est cum rebus singularibus.

Probatur 2.ª pars. Res quae concipitur, quoad modum quo concipitur, concipitur *abstracte*, idest sine conditionibus rem individuantibus; in se autem prout existit in determinato subiecto, res illa concreta est iisque conditionibus adstricta: ergo universale directum, quoad modum quo concipitur, non existit in rebus.

Q. 3. Si res ita se habet, quid ergo ad formandum universale requiritur ex parte mentis?

R. Ad efformandum universale nil aliud requiritur ex parte mentis, nisi abstractio quaedam praecisiva, qua in obiecto quod apprehenditur, negligantur conditiones individuales, et sola concipiatur essentia, qua talis est. Revera ex effectu arguitur causa; atqui in universali directo, *praeter entitatem, quae exhibetur a rebus*, non aliud invenitur nisi praecisio idealis conditionum individuantium: ergo nil aliud revera requiritur ex parte mentis nisi vis quaedam, a qua praecisio illa procedat.

Nec alicui mirum esse debet quod huiusmodi virtus abstractiva tribuatur menti. Ipsa enim visiva vis (et idem dic de quovis sensu) nonne proprium obiectum percipit, nempe colorem, sine obiectis aliorum sensuum, quamvis omnia in una et eadem uniantur concreta re? Quae quidem sensuum praecisio equidem non est veri nominis abstractio: at longe etiam inferioris naturae est sensus respectu mentis. Cum igitur conceptus *formalis* essentiae a conceptu existentiae differat, quid vetat

unum haberi sine alio, idest quod mens contempletur essentiam, sine notis illam individuantibus?

Neque tamen putandum est mentem in hac prima et directa operatione tum essentiam tum individuantes notas intueri, hasque postremas negligere ad unam essentiam nudam contemplandam: nam revera *essentiam unice* intuetur mens in hac operatione directa et nil aliud; quemadmodum vis visiva intuetur colorem, non autem saporem etc. — Individuantes notas mens dein percipit operatione tantum reflexa, ut in psychologia c. 1. a. 5. §. 1. q. 4. ostendemus.

Difficultates.

D. 1. Videtur quod universalia nullo modo sint in rebus, sed tantum in vocibus, vel ad summum in conceptibus: revera quidquid *extra mentem* existit, est individuum: ergo mens ut obiectum *reale* concipiat, non potest apprehendere nisi individua.

R. Dicendum quod essentia, quae concipitur in universali directo, vere realis est. Haec autem licet in re non existat nisi individuata, quia tamen ratio essentiae rerum cum ratione individuationis earum non confunditur nec necessario nectitur (secus essentia nunquam inveniri posset nisi in tali individuo determinato, et sic unum tantum individuum possibile esset; quod rationi et experientiae adversatur), hinc optime potest concipi sine notis individuantibus.

Duplex ergo realitas considerari debet, nimirum existentiae et essentiae. Si agitur de prima,

certe non potest quidquam apprehendi ut reale, nisi sit individuum; nam sola individua existunt. — At si sermo est de secunda, nihil vetat quominus realitas competat universali, hoc ipso quod in universali concipitur *aliquid a subiectiva mentis repraesentatione diversum.*

D. 2. Ut essentia percipi posset sine notis individuantibus, deberet ab iis esse distincta. Atqui nulla distinctio intercedit inter essentiam et individuationem: ergo ad universale percipiendum non sufficit vis abstractiva mentis.

R. Dicendum quod quamvis essentiam inter et individuationem nulla sit distinctio *realis et entitativa;* est tamen distinctio *virtualis et rationis cum fundamento in re;* et haec sufficit ad hoc ut una concipi possit per abstractionem sine alia.

D. 3. Ut mens universale colligat, debet inductione procedere, qua discernat, individua, licet distincta, convenire tamen in essentia. Atqui convenientia haec deprehendi nequit, nisi iam antea typus aliquis universalis in mente habeatur, seu notio formae, respectu cuius individua illa similia sint inter se: ergo.

R. Dicendum quod obiectio procedit de universali reflexo, non de directo. Nam ad universale directum colligendum mens non inductione, sed abstractione procedit, qua puram essentiam cogitat, neglectis conditionibus individuantibus: ad hoc autem non requiritur enumeratio et examen plurium individuorum, sed sufficit ut unum individuum ipsi obiiciatur vere continens illam essentiam, quae per se considerari potest sine individuatione quam habet.

Rite enim notandum est quod ad separandam *cogitatione* essentiam a notis individuantibus mens non inducitur ratiocinio, sed determinatur vi naturae, quatenus sic est per se comparata, ut obiectum primo perspiciat quoad quidditatem, et postea cetera, quae ad ipsum pertinent, consectetur: quaeque enim facultas a natura sortitur proprium modum attingendi suum obiectum. Sicut igitur modus proprius visus, ut iam diximus, est videre colorem sine odore et ceteris quae in re sunt; ita mentis est in prima operatione percipere essentiam sine individuatione.

D. 4. Mens in prima intuitione obiecti passive potius se habet quam active; atqui si abstractione uteretur licet instinctiva, actionem exerceret: ergo.

R. Dicendum quod licet prima intuitio rei dici possit passiva, quatenus mens non aliquid tribuit obiecto, quoad id quod percipit, sed mere recipit et obiectum idealiter exprimit, tamen hoc ipso quod intelligit, operatur. Quod vero ad modum percipiendi pertinet, mens activa a fortiori dicenda est; operatur enim abstrahendo etc. ut dictum est.

D. 5. Si mens obiectum singulare perciperet sub forma universali, falleretur; conciperet enim obiectum aliter quam est: ergo.

R. Dicendum quod id verum esset, quando mens de obiecto, quod percipit, affirmaret universalitatem: ast id non contingit in simplici apprehensione, per quam mens quidditatem intuetur absolute, quin de ea universalitatem affirmet, sed

mere negligit seu non considerat individualitatem. De obiecto autem sic apprehenso mens iure profert iudicia, et instituit ratiocinationes, quae ad meram rei quidditatem per se et absolute consideratam referantur.

D. 6. Universalia sunt absoluta et aeterna: ergo sunt ipse Deus vel saltem divinae ideae.

R. Dicendum quod universalia dicuntur necessaria in ratione essentiae, et aeterna negative quatenus praescindunt a tempore; non vero in ratione existentiae et de aeternitate positiva; et ideo non tenet conclusio. (v. s. Th. Quodl. 11. a. 1.)

D. 7. Ex praedictis sequeretur universalia in rebus esse, quod est inconveniens.

R. Dicendum quod inconveniens existeret, si universalia ponerentur in rebus *formaliter et actu;* non vero si ponantur in rebus *fundamentaliter et in potentia*, ut revera facit systema Scholasticum; quod statuit ita essentias a singularibus non differre *re*, ut tamen *ratione* differant; quatenus nempe de se spectatae hanc potiusquam aliam individuationem non exigant. Quare mens, quae rationes rerum, et non merum factum, attingit, intuitu suo optime unum secernit ab alio, et ita contemplatur essentiam nude sumptam, quam deinceps comparatione cum individuis universalitate donat positiva.

CAPUT V.

DE AXIOMATIBUS.

Caput praesens de axiomatibus in tres articulos dividitur; quorum 1.us de ipsis axiomatibus secundum se: 2.us de eorum reductione: 3.us de ipsorum certitudine et valore contra adversarios sermocinabitur.

ART. 1. *De axiomatibus secundum se.*

Circa axiomata secundum se tria opportune possunt considerari, nempe 1.° quaenam sit eorum indoles: 2.° quaenam ipsorum divisio: 3.° quaenam genesis eorum universalitatis. Quae omnia tribus §.is absolventur.

§ 1. *De axiomatum natura.*

Q. U. Quaenam iudicia vocantur axiomata?

R. Axiomata vocantur iudicia illa, quae non modo *per se evidentia* sunt, sed insuper universalitatem habent, ideoque constituunt principia scientiarum. — Et haec ratio est, cur axiomatum nomine quod *dignitatem* significat, donata sunt; quia scilicet in cognitione altissimum obtinent locum.

§ 2. *De axiomatum diversitate.*

Q. 1. Quot iudiciorum immediatorum classes distinguuntur, prout ad axiomata constituenda evehuntur?

R. Duae immediatorum iudiciorum classes distinguuntur, prout ad axiomata constituenda evehuntur, ut iam supra diximus; quarum 1.ª comprehendit ea, quorum veritas elucescit ex ipso idearum nexu: 2.ª autem illa complectitur, quae non item sed facto et experientia fundantur. — Exemplum iudiciorum primi generis sit « partes simul sumptae aequant totum »: exempla secundi « ego sum cogitans: existunt corpora ».

Q. 2. Quomodo iudicia huiusce duplicis classis nominantur?

R. Iudicia primae classis dicuntur *a priori*, quia ex experientia non pendent; vel *analytica*, quia ex resolutione ideae subiecti aut praedicati enascuntur, ut iam dictum est.

Iudicia secundae classis dicuntur a *posteriori*, quia experientia praebentur; vel *synthetica*, quia attributum extra notionem subiecti positum eidem adiungunt.

Q. 3. Potestne denominatio eiusmodi ad iudicia etiam *mediata* transferri?

R. Aff.ʳᵉ; nam 1.° si iudicium mediatum sit eiusmodi, ut per ratiocinium *purum* ex duobus analyticis iudiciis deducatur, nulli dubium quin ipsum quoque analyticum censendum sit: sic si dicas « quidquid simplicem naturam habet, caret partibus; sed quidquid caret partibus, discerpi et dividi nequit: ergo quidquid simplicem naturam habet, discerpi et dividi nequit » certe haec illata veritas eadem, qua praemissae, necessitate pollet; et licet *mediate*, ex idea tamen subiecti resolutum praedicatum habet.

Si vero per ratiocinium *empiricum* ex duplici iudicio experimentali aliquid inferas, ut si dicas: « aestati succedit autumnus; sed modo est aestas: ergo post erit autumnus » evidens est deductionem istiusmodi non esse nisi veritatem empiricam, quae physicae tantum sit certitudinis.

Tandem quum per ratiocinium *mixtum* ex praemissis altera rationali, alia experimentali, illatio deducitur, ut si dicas « non existit ens contingens nisi existat ens necessarium; sed entia contingentia existunt: ergo existit ens necessarium » aperte vides illationem huiusmodi non esse rationalem, nec experimentalem tantum, sed mediam quodammodo et hypotheticae necessitatis quoad nos: nimirum talis, ut vi praemissae necessariae repugnet oppositum, facta tamen hypothesi veritatis praemissae experimentalis, ex qua etiam pendet.

§ 3. *De genesi universalitatis utriusque classis axiomatum.*

Q. 1. Quo pacto iudicia *immediata universalitatem* induunt, ita ut principiorum seu axiomatum classes constituant?

R. Ut pateat, quomodo iudicia *immediata universalitatem* induant ita ut axiomatum seu principiorum classes constituant, distinguendum est inter iudicia immediata analytica et synthetica; aliter enim induunt universalitatem priora et aliter posteriora.

Ergo ad iudicia analytica quod attinet, haec necessitatem et universalitatem revera includunt

suapte vi; sunt enim eiusmodi, ut non modo sua luce pateant, sed etiam ad omnes casus possibiles se protendant, seu natura sua sunt universalia: nam reapse in hisce iudiciis praedicatum cum subiecto absoluta necessitate copulatur; unde non potest uspiam inesse notio subiecti, quin praedicati notio ibidem etiam adsit. Quot igitur sunt iudicia *analytica immediate evidentia*, tot habentur axiomata seu principia scientiarum.

At contra si de iudiciis syntheticis sermo sit, res non est ita; nam 1.° quae ex iis iudiciis *singularia et individua* obiecta habent, ea non modo universalia non sunt, sed nec (utpote singularia) ad universalitatem evehi possunt.

Quoad *particularia* vero, haec licet universalia per se non sint (cum particularia dicantur), possunt ad universalitatem attolli; non tamen ope idearum, ex quibus constant, sed inductionis auxilio: cum enim praedicatum habeant extra notionem subiecti positum (unde dicuntur synthetica), nequeunt universalia esse *vi sua.* Quo autem pacto ope inductionis ad universalitatem evehantur, vide in 1.ª parte logicae ubi fuse haec questio pertractata est, c. 3. a. 12; neque enim eadem repetere iuvat.

Q. 2. Quid, hisce subauditis, dicendum est de doctrina Volfii asserentis iudicia synthetica, prout ad casus nondum exploratos extenduntur, *probabilia* esse tantum, non certa; ac proinde quoad casus iam exploratos certitudine *relativa* dumtaxat gaudere?

R. Dicendum doctrinam huiusm. falsam esse;

quamvis enim non raro id verum sit (nimirum iudicia synthetica probabilia esse tantum), cum scilicet inductio sufficiens non praecesserit; attamen in casu contrario, idest cum sufficiens inductio praeiverit, iudicia etiam synthetica omnimodam universalitatem cum certitudine veri nominis exhibent, ut loco supra citato evidenter demonstravimus.

Art. 2. *De principiorum seu axiomatum reductione.*

Q. 1. Quo sensu inquiritur aliquod primum principium, ad quod cetera revocentur?

R. Principium primum, ad quod cetera revocentur, non eo sensu inquiritur, quasi illud dumtaxat sit per se notum, cetera autem ex eo postulent demonstrari; id enim repugnat omnino, tum quia iudicia analytica immediate percipiuntur, intellectis terminis; tum quia, ut patet, ratiocinatio institui nequit, quin duo saltem principia certa habeantur; ne quid dicam de aliis necessario subauditis, in quibus ratiocinii forma fundatur. — Inquiritur ergo principium illud eo sensu ut certum statuatur iudicium, quod ceteris velut implicitum sit, et conditionem generalem exprimat, quae in quovis mentis assensu praesumatur.

Q. 2. Existitne igitur principium huiusmodi?

R. Existit principium huiusmodi; et continetur pervulgato illo effato contradictionis « nequit aliquid simul esse et non esse ». Revera quod tale principium sit omnium primum, quod in ceteris

latet implicitum, sic probatur. Idea entis in quolibet conceptu implicita est; sed principium contradictionis *immediate* consequitur ex idea entis: ergo in omni iudicio implicitum esse debet. — Maior declaratur. Cum cogito, v. gr., hominem, solem, aquam, plantam etc., profecto entitatem aliquam cogito; et item cogito entitatem, cum considero formam quamlibet, quae in idea comprehensiva hominis vel solis etc. includitur. Idem dici debet cum de homine, aqua vel planta, deque notis omnibus in quovis obiecto comprehensis, iudicium fertur; semper enim de entitate aliqua iudicatur: ergo idea entis in quolibet conceptu et iudicio implicita est. — Declaratur minor. Principium contradictionis non supponit ens hoc vel illud seu ens tale, sed ens generalissime acceptum prout ad omnem rerum ordinem se protendit; unde non fundatur nisi in sola notione entis, et non enuntiat nisi repugnantiam, quae viget inter ens eiusque negationem seu non ens; ad quod non supponitur nisi entis notio; mens enim cognoscendo ens, cognoscit etiam non ens, cum intellectio se habeat ad opposita. — Aliis verbis: data notione entis, id sufficit ad iudicium contradictionis efformandum; quod tamen non sufficeret ad formandum quodvis aliud iudicium magis comprehensivum, v. gr. ad pronuntiandum aliquid esse substantiam, vel corpus, solem aut hominem: ergo principium contradictionis, eo ipso quod ex idea entis generalissime accepti immediate consequitur; iudicia vero quaelibet semper de aliqua entitate sint; necessario in omnibus latet implicitum, et prius est ceteris.

Praet. illud principium ceteris est implicitum et haberi debet tamquam conditio omnibus praesupposita, quod est tum evidentissimum, tum universalissimum, et insuper ita necessarium ut, eo sublato, certitudo omnis eripiatur. Atqui huiusmodi est principium contradictionis; nimirum est evidentissimum; nam eadem claritate innotescit, qua idea entis; item est universalissimum; nam iuxta entis amplitudinem se protendit; denique est maximae necessitatis; continet enim primam veluti legem, qua mens temperatur in iudicando, a qua si recederet, illico cogitatio omnis et certitudo corrueret: ergo.

Q. 3. Principium contradictionis exprimitne *formulam generalem*, in quam veritas ceterorum principiorum *ultimo et indeterminate* resolvitur?

R. Affirmative, si agatur de iudiciis analyticis. Nam mens iudiciis eiusmodi idcirco assensum praestat, quia in illis terminorum identitatem, eorumque nexum necessarium sic videt, ut contrarium cogitari non posse perspiciat. Hanc autem impossibilitatem ideo videt, quia videt *non posse idem simul esse et non esse.* — Et hinc fit ut iudicia analytica apud pertinacem hominem possint per principium contradictionis tum declarari, tum etiam demonstrari indirecte, nimirum demonstratione *ex absurdo*, modo notionem obiecti, de quo agitur, adversarius admittat: qui enim iudicium analyticum negat, in principium contradictionis illico offendit. Quare principium contradictionis est veluti *medium* ad iudicia analytica *detegenda*; illa enim in hoc numero haberi debent, quae si vera

non essent, idem simul oporteret affirmari et negari.

At de iudiciis syntheticis non est ita. Cum enim dico « Petrus existit » vel « ignis comburit » non idcirco huiusmodi iudiciis assentior, quia secus *idem simul esset et non esset*, sed quia experientia vel inductione cognovi existentiam Petri et effectum ignis. Et revera principium contradictionis *idealem* ordinem non egreditur. — Attamen principium istud in his etiam iudiciis *aliquo modo* se immiscet, ut superiori quaestione dictum est; quatenus nempe, *habita prius experientia de eorum veritate*, intelligimus ea non posse, cum sint vera (ut ex experientia constat), simul esse falsa. — Sed hoc non sufficit ut principium contradictionis constituatur veluti generalis formula, in quam veritas iudiciorum *syntheticorum* resolvatur, cum sine experientia illud nunquam ad eorum veritatem detegendam nos adducat: v. gr. nunquam dicit Petrum non posse hic et nunc non existere, nisi prius existentiam Petri experientia dictaverit. Haec igitur, nempe experientia, praerequiritur; qua semel posita, principium contradictionis tunc satisfacit muneri suo; nunquam vero in hoc iudiciorum genere sine ipsa; quia non est absolute necessarium v. gr. Petrum existere, sed conditione posita eiusdem creationis, et, quoad nos, habita huius conditionis experimentali notitia.

Q. 4. Potestne saltem dici quod sit principium rationis sufficientis ea generalis formula, in quam iudicia synthetica resolvantur, ut posuit Leibnitius?

R. Distinguendum est; si enim 1.° intelligatur quod iudicia synthetica in ipsum *tantum* resolvantur, quasi illud sit totale motivum, quo ad iis assentiendum impellimur; vel 2.° si agatur de iudiciis syntheticis particularibus, quatenus particularia sunt, respondendum est negative in utroque casu. — Et ratio utriusque negationis est, quia sine fundamento experientiae numquam iudicia synthetica pronunciarentur, ut dictum est; principium enim rationis sufficientis, ipsum etiam, ordinem idealem non egreditur, et ideo, saltem de se, non sufficit ad iudicium experimentale praebendum. — Equidem verum est, res contingentes semper habere nexum cum aliqua sui ratione sufficienti et causa: id vero earum existentiam, non cognitionem respicit; quam quidem cognitionem nos in praesenti ordine, non a priori, sed a posteriori et ex facti ipsius intuitione consequimur. Idest, principium rationis sufficientis dicit: si quid existit, rationem sui sufficientem habet: sed an dein aliquid revera existat, non ex principio illo, sed ex facto dignoscendum a nobis est.

At e contrario si agatur de veritatibus contingentibus non quibuslibet, sed de iis quae ope inductionis ad universalitatem evehuntur, tunc hae principio rationis sufficientis, indirecte saltem, nituntur. Revera, ut in quaestione de inductione dictum est, inductio in universalitate impartienda veritatibus contingentibus principio causalitatis (quod principii rationis sufficientis non est nisi coarctatio quaedam) regitur. Intantum enim causam phaenomenorum, quae scrutatur, de-

tegit esse vel ipsam naturam subiecti, vel legem a Deo constabilitam, inq. mordicus adhaeret huic principio: non datur effectus sine causa. — Qua interpretatione semel admissa, Leibnitiana doctrina probari posset: ad ambiguitatem tamen auferendam sic proponenda foret: Iudicia *universalia*, ex quibus ratiocinia pendent, duobus magnis superstruuntur principiis; quorum unum est effatum contradictionis, alterum est principium rationis sufficientis. Priori principio innituntur axiomata analytica, pro quibus non praesupponitur nisi intuitio idealis; posteriori vero axiomata experimentalia, pro quibus requiritur intuitio facti cum legitima enumeratione casuum particularium.

Difficultates.

D. 1. Videtur quod principium contradictionis non sit primum in genere principiorum: est enim negativum; principium autem negativum est posterius positivo; nam negatio in affirmatione fundatur. — Insuper est modale; modale autem est posterius absoluto; modus enim subaudit rem quam afficit: ergo.

R. Ad 1.um dicendum quod principium contradictionis ita constat negatione, ut constet etiam affirmatione; docet enim ea, quae sunt, sic esse ut simul non esse nequeant: id vero ad positivam perfectionem entis et cognitionis pertinet: nil ergo contra nos facit quod negatio in affirmatione fundetur; siquidem principium contradictionis revera in *positiva* cognitione nititur, nimirum in per-

ceptione entis, ad cuius perfectionem pertinet ut, inquantum est, nequeat non esse. Habet ergo in se positionem in qua eius negatio fundatur.

Ad 2.um dico quod ideo quia principium eiusmodi modali propositione exprimatur, nil inde detrahitur eius prioritati: nam modus de quo agitur, non est modus proprie dictus, qui a re distinguitur, et rem quam afficit, supponit; bene vero improprie dictus, qui nempe non differt a re, et cum ipsa notione simplici omnino identificatur. Cum ergo modus, de quo agitur, a re non differat, non est posterior ipsa: et patet quia repugnantia quam habet ens cum non ente, non differt ab ipsa notione entis, quae certe nihilum a se excludit et quidem necessario: idest exclusio nihili confunditur cum ipsa notione entis in quantum est ens; unde iudicium modale, quod id exprimit, non requirit aliud iudicium praevium, quod versetur circa rem simpliciter inspectam.

Idque iterum manifestum fit ex eo quod principium contradictionis exprimi etiam potest sub forma simplici, sic; ens non est nihilum: enti repugnat non esse: nequit id quod est, non esse.

D. 2. Principium contradictionis supponit evidentiam: ergo non est primum.

R. Dicendum quod a principio contradictionis subauditur evidentia, non tamquam *principium* ex quo ratiocinando, indirecte saltem, principium contradictionis inferatur, sed ut character et proprietas iudicium quodlibet verum concomitans. Et revera quomodo ex evidentia, per modum iudicii expressa, inferri posset iudicium contradictionis,

si, eo non praesupposito, iudicium omne corruit? Si enim dicas « quidquid est evidens, verum est » mente praesumere debes, *non posse idem simul esse et non esse.*

D. 3. Principium contradictionis idcirco affirmatur verum, quia in eo percipitur praedicatum cum subiecto esse unum et idem; atqui id constituit principium identitatis « quod est, est », seu A aequat A: ergo hoc prius est illo.

R. Dicendum quod huiusm. identitas est *conditio* iudicium quodlibet necessarium afficiens, non autem iudicium, ex quo cetera derivantur. Quod quidem ex eo etiam patet quod si principium identitatis esset effatum, ex quo aliorum veritas inferretur, haberetur ratiocinium nugatorium sequens « quod est, est; atqui hoc est; ergo est ». Ubi minor id ipsum exprimit quod conclusio.

Art. 3. *De valore et certitudine axiomatum analyticorum et syntheticorum contra adversarios.*

Quoad axiomata analytica, unice nobis pugnandum erit contra Beguelin, qui principium causalitatis (ab eo cum principio rationis sufficientis perpetuo confusum), utpote obscurum et demonstrationis incapax, incertum esse contendit: unde constabilire nititur, saltem tamquam possibilem, hypothesim fortunae vel casus, seu, ut ipse ait, hypothesim existentiae vel eventus, qui exurgat sine causa.

Quod vero ad iudicia synthetica pertinet, im-

primis ea e medio pellenda erunt, quae Kant vocat synthetica a *priori:* deinde contra Humium reliquorum certitudo obiectiva erit vindicanda. Quae omnia tribus §.^{is} absolventur.

§. 1. *De valore et certitudine principii causalitatis contra Beguelin.*

Notandum imprimis est principium causalitatis duplici modo enuntiari posse; 1.° modo *positive*, sic; quidquid fit, causam habet; 2.° modo *negative*, sic: non datur effectus sine causa. — Et idem dicendum est de principio rationis sufficientis; nam *positive* sic exprimitur: quidquid est habet rationem sufficientem sui esse: *negative* autem sic enuntiatur: nihil est sine ratione sufficienti.

Notandum 2.° quod principium causalitatis, quamvis communi usu cum principio rationis sufficientis confundi soleat, ab hoc tamen non parum differt. Nam sicut effici non est idem quod esse, sed minus patet (esse enim de Deo dicitur et creaturis; contra effici nonnisi de postremis dici potest); ita eadem ratione causa non est idem quod ratio sufficiens. Revera causa importat quod id cuius est ratio, fiat; at ratio sufficiens per se significat id tantum, unde est quod aliquid sit potiusquam non sit. Sic Deus habet rationem sufficientem sui esse in se, sed non habet causam: Ipse vero est causa omnium. Igitur omnis causa est ratio sufficiens, sed non vicissim omnis ratio sufficiens continuo est causa: quare si duo praedicta principia

differunt terminis, profecto non sunt idem. Hisce positis, sit

Q. U. Principium causalitatis estne absolute certum?

R. Principium causalitatis absolute certum est. Idque patet, tum ex communi naturae sensu; nemo enim serio de hoc principio dubitat, si terminos intelligat: tum ex eius terminorum analysi. Est enim iudicium analyticum, ita ut si unum ex eius terminis auferas, alterius etiam notio evanescat oportet. Et revera, quod existere incipit, profecto id quod non habebat, acquirit: conceptus autem rei existentiam *accipientis* correlativum habet conceptum rei existentiam *elargientis*, cum nihilum nihil det: atqui realitas existentiam tribuens est id quod dicitur causa et ratio sufficiens: ergo existentia et necessitas causae, quoad rem quae fit, cum rei effectae notione *necessario* nectitur.

Hoc ipsum clare evincitur ex principio contradictionis. Nam causa rei, quae fit, non existat: quo ergo pacto tandem haec efficietur? Certe non ex eius *possibilitate*; possibilitas enim est quid minus existentia; quare si possibilitas causaret rem, tunc minus causaret maius, seu esset minus et non minus. — Item neque effici poterit ex nihilo; secus haberetur nihilum ut supponitur, et non nihilum, eo ipso quod causaret; idest haberetur simul nihilum et non nihilum; quod pugnat cum principio contradictionis: ergo effectus cum sui causa necessario nectitur.

Nota. Consimili processu quodlibet iudicium analyticum defendi potest.

Difficultates.

D. 1. Videtur quod principium causalitatis sit valde obscurum; in eo enim fit transitus ad existentiam *realem,* cuius notio valde obscura est. Ita Beguelin.

R. Dicendum 1.° quod dato et non concesso quod principium causalitatis ad realem existentiam transiret, non inde tamen obscurum fieret; nam notio existentiae realis, ne quid obscuritatis habeat, imo est maxime evidens, ut quisque conscit.

Secundo tamen negandum est principium causalitatis pendere ab aliqua reali existentia ex cuius experientia colligatur, ut in axiomatibus experimentalibus contingit: nam principium causalitatis enuntiat *generatim et abstracte* necessarium nexum inter existentiam entis contingentis et eius causam, seu inter *ideam* entis contingentis, idest entis exigentis causam, et *ideam* entis existentiam elargientis, nimirum causae ipsius: ergo. — Quod si dein eveniat quod ens contingens sit *in re*, profecto tunc eius causa *realis* quoque dicenda erit: at hoc etiam valet pro principio contradictionis, quod adversarius tamen non impugnat; si enim ens aliquod *realiter* est, statim sequitur quod *realiter*, dum est, nequeat non esse.

D. 2. Principium causalitatis demonstrari nequit sine circulo vitioso; nam demonstrare aliquid, idem est ac eius rationem sufficientem afferre: ergo eius veritas nutat.

R. Dicendum 1.° falsum esse suppositum, sci-

licet quod principium causalitatis demonstratione indigeat: est enim per se notum, ut supra ostensum est. — Quod si demonstratione indigeret, cum demonstratio omnis, iuxta adversarium, in illo fundetur, eo ipso omnis demonstratio fieret impossibilis. Quid vero tunc dicendum foret de argumentis, quae Beguelin nobis opponere nititur?

Dicendum 2.° iterum falsum esse omnem demonstrationem huic inniti principio: quamvis enim verum sit quod demonstrare aliquid sit eius rationem sufficientem afferre, haec tamen ratio sufficiens non oportet quod continuo sit principium rationis sufficientis, sed erunt principia rei, de qua agitur, propria. Sic cum dico: quod est spirituale, est liberum; sed anima humana est spiritualis; ergo est libera: ratio sufficiens huius conclusionis est animae humanae spiritualitas, non vero principium rationis sufficientis.

Ceterum iam observavimus, inepte ab Adversario principium causalitatis cum principio rationis sufficientis perpetuo confundi.

D. 3. Si principium rationis sufficientis admittitur, tunc 1.° veritates omnes, quae illius ope deducuntur, necessariae essent absolute: 2.° omnes effectus etiam forent necessarii; nam sicut posito rationato ponenda est ratio sufficiens, ita ratione sufficienti posita, rationatum quoque ponere oporteret: atqui id est inconveniens: ergo.

R. Ad 1.um dicendum, quod quum agitur de veritatibus syntheticis, hae idcirco non sunt absolute necessariae, quia ex praemissis profluunt, quarum una est quidem necessaria absolute, alia vero non

item, sed tantum hypothetice: quare conclusio, cum semper debiliorem partem sequatur, nonnisi physica certitudine gaudere potest.

Ad 2.um dicendum quod inversio illius principii, quae in obiectione fit, locum habet dumtaxat, cum agitur de causis necessariis, non autem cum agitur de causis liberis; harum enim proprium est, positis etiam omnibus ad agendum requisitis, posse adhuc pro lubito operari et non operari.

§. 2. *De absurditate iudiciorum Kantii* syntheticorum a priori.

Q. 1. Quaenam alia iudicia, praeter analytica et synthetica apud omnes recepta, obtrudit Kant?

R. Kant iudicia ipsa synthetica in duas classes dividit, nimirum in *synthetica a posteriori* apud omnes recepta, et in *synthetica a priori*, quae ipse tantum novit.

Q. 2. Quomodo iuxta Kantium ex animo nostro profluunt iudicia huiusmodi synthetica *a priori?*

R. In primis notandum est quod in doctrina Kantii omnis cognitio nostra duplici constat elemento, ut fusius dicemus in Cosmologia, altero subiectivo, alio obiectivo; ita ut obiectivum sit materia, subiectivum vero sit forma, quae omnino a subiecto est.

Hoc posito, iuxta Kantium, iudicia synthetica *a priori* ex animo nostro profluunt sponte sua, vi quarumdam formarum (elementum subiectivum) menti inhaerentium, quas *ex instinctu* nos excitati ab impressione, quam materia externa (elementum

obiectivum) in nos producit, applicamus ipsi materiae, vel impressioni productae a materia in sensus nostros.

Q. 3. Suntne iudicia huiusmodi synthetica a priori admittenda?

R. Negative prorsus, quia naturae mentis humanae manifeste repugnant. Et sane mens nostra est facultas cognoscitiva: ergo nulli obiecto assentiri potest, quod nec in se, nec in alio contuetur. Atqui in Kantiana hypothesi mens nostra assentiretur obiecto, quod nullo modo videt; nam nexum praedicatum inter et subiectum, qui deberet esse obiectum iudicii quod profertur, *neque in mutua relatione conceptuum,* neque *in ratiocinii deductione,* neque *in medio experientiae* mens conspiceret. Revera non 1.um admittitur nec 2.um, quia tunc haberentur iudicia *analytica* vel *immediata* vel *deducta;* non 3.um, quia sic haberentur iudicia synthetica *a posteriori;* dum contra Kantius militat pro iudiciis syntheticis *a priori:* ergo.

Cum itaque omnis actus mentis, obiectum cognitione attingens, sit positus in perspiciendo, mens revera iudicium proferre nequit, nisi acie sua deprehendat rem ita se habere. Quare ubi agitur non de fide praestanda auctoritati, sed de iudicio spectante ad scientiam, necesse est ut mens ab aliquo motivo aut ratione, *afficiente obiectum intrinsecus,* trahatur ad assensum. Atqui in iudiciis syntheticis *a priori* nullum motivum, nulla ratio obiectiva, sc. nec evidens idearum nexus, nec ratiocinatio legitima, nec percepta experientia, ut iam observavimus, mentem flecteret ad assensum: ergo iu-

dicia synthetica *a priori*, utpote actus sine luce, et ex rationis fundo irrationaliter et contra eius agendi modum dimanantes, humanae mentis naturae omnino adversantur.

Et hoc etiam ex ipsis Kantii principiis derivari potest. Statuit enim Kant, mentem nostram in eiusm. iudiciis syntheticis *a priori* proferendis, eorum absolutam necessitatem pronuntiare. Ast pronuntiatio mentis *cum intuitione ipsa confunditur*: ergo ut illam necessitatem mens pronuntiet, a ratione aliqua obiectiva cogi debet; seu necessitatem eorum absolutam, hoc ipso quod eam pronuntiat, necessario contuetur: non ergo dari potest iudicium caece et ex instinctu a mente prolatum.

Q. 4. Faventne sententiae Kantianae exempla, quae ipse Kantius pro se adducit?

R. Exempla, quae pro se adducit Kant, nullimode ipsi favent. Revera sex iudiciorum exempla refert, quae nec analytica, nec synthetica a posteriori, bene vero synthetica *a priori* esse contendit, nimirum sequentia:

1.um Quidquid fit, causam habet: 2.um, desumptum ex aritmetica: quinque plus septem aequant duodecim: 3.um, ex geometria: linea recta est brevissima omnium, quae duci possunt inter duo data puncta (quod minus vere dicit Kant ex conceptu *recti* deduci; non enim ex idea recti, sed ex idea lineae rectae reapse deducitur): 4.um, ex physica: in omnibus mutationibus mundi corporei eadem manet materiae quantitas: 5.um, item ex physica: in quovis motu communicando actio et reactio semper est aequalis: 6.um, ex metaphysica: mundus aliquando primordia coepit.

Atqui ex hisce iudiciis quatuor priora evidenter sunt *analytica*, quia in iis notio praedicati ex notione subiecti evolvitur; quintum est syntheticum *a posteriori*, utpotequod ex experientia et inductione derivatur; sextum autem ne principium quidem est, sed illatio tantum ex ratiocinio deducta, ut consideranti patet: ergo.

§. 3. *De valore et certitudine axiomatum syntheticorum (a posteriori) contra Humium.*

Nota. Kant per excessum, Humius per defectum nobis repugnat.

Q. 1. Quid Humius docuit circa principia experimentalia?

R. Circa principia experimentalia in primis Humius docuit, eorum fundamentum contineri tantum in eo effato « futurum erit consimile transacto »; deinde effati huiusmodi certitudine negata (quia neque immediata idearum relatione fulcitur, ut per se patet; neque in experientia, ut ipse ait, fundatur, quia futurum nondum accidit), exinde deducit, axiomatum experimentalium certitudinem esse quidem aliquid *a subiectiva animi persuasione ex more et consuetudine admissum*, sed sine ullo fundamento obiectivo.

Q. 2. Quo pacto, contra Humium, axiomatum experimentalium certitudinem propugnare contendit Reid, et quid de Reidiana defensione dicendum est?

R. Reid ad scepticismum Humii vitandum et axiomatum experimentalium certitudinem tuendam,

statuit fundamentum eorum certitudinis in *caeco quodam naturae instinctu* esse reponendum, quo *ineluctabili* quadam vi ad sic iudicandum incitaremur, *necessario* scilicet et *instinctive*. — Quod quidem ostendere conatur exemplo desumpto ex infantibus; si enim, inquit, infanti alicui semel contingit digitum lucerna comburi, timet ipse ne dolor redeat, si lucernae alteri aut cuivis flammae iterum manum admoveat; et, quod consequens est, is comburendi vim tribuit *toti speciei*. Inductio isthaec, prosequitur Reid, quae ex ratiocinatione non proficiscitur quamque ratam non facit ratiocinatio, ex vi illa ineluctabili oritur, quae nos instinctu quodam adducit ad tribuendas toti speciei qualitates, quas in individuis experti sumus. Sic constitutio ipsa naturae fert.

Atqui haec Reidiana defensio naturam axiomatum experimentalium, non secus ac doctrina Humii, pessumdat, licet diversa via. Et sane, si mens *caeco quodam naturae instinctu* iudiciis illis assentitur, quis non videt, de eorum natura iam actum esse? Mens enim absque ulla obiectiva ratione assensum praestaret, et consequenter irrationaliter ageret. — Et illud quidem verum est in animo nostro esse naturalem quamdam ad vere et recte iudicandum determinationem: sed haec non impedit quominus semper requiratur ex parte obiecti fundamentum et ratio, qua mens nitatur, et a qua moveatur, cum iudicat.

Quod vero pertinet ad exemplum ex infantibus desumptum, nil revera facit ad rem; hoc enim loco agitur de homine prout fruitur vita sua ra-

tionali: infantes vero idcirco absque ratiocinatione ad similes effectus a similibus causis expectandos moventur, quia nondum expedito rationis usu gaudent; nec de futuris effectibus aut possident aut possidere possunt veram certitudinem.

Q. 3. Estne huic defensioni Reidianae ea praeferenda, quam tentavit Galuppius?

R. Imprimis Galuppius censuit similitudinem inter transactum et futurum *vi experientiae* certam haberi; ideoque effatum illud « futurum erit simile transacto » empiricam praebere veritatem. — Id vero sic persuadere nititur. Finge, ait, spatium longissimum praeteriti temporis: totum hoc tempus quod nunc praeteritum est, quondam futurum erat, scilicet respectu primi instantis ex quo exordium coepit; atqui in toto eius decursu, eventuum similitudinem mens deprehendit: ergo similitudo inter transactum et futurum experimento fuit obnoxia.

Verum hoc revera nil persuadet: nam imprimis exordio illius temporis quod fingitur, profecto de futuro nihil adhuc constabat experimentaliter. Deinde de ipso sumpta fuit experientia ab eo puncto remotissimo ad nostra usque tempora, et similitudinem inter *illud* transactum *illudque* futurum mens experimentaliter deprehendit. At vero a praesenti puncto ad nova iterum tempora eritne hoc aliud futurum transacto simile? Si experimentaliter id sciri debet, experientia certe circa hoc novum futurum adhuc desideratur: ergo etc. Aliter: haec propositio « similitudo inter transactum et futurum fundatur in *sola* experientia »

vel supponitur veritas *immediata* vel *deducta*. Immediata non est, quia etsi experientia transacta ostenderit similitudinem inter *aliqua* praeterita et *aliqua* futura, utrum tamen haec similitudo in posterum sit permansura, id nec dicit nec dicere potest, quia experientia non respicit nisi praesens: mediata item non est, quia illatio nequit esse *amplior praemissa:* atqui similitudo inter transactum et futurum, quae affirmatur in principiis experimentalibus, est universalis; experientia contra, utcumque dilatetur, particularis semper est: nullo igitur pacto ex hac dumtaxat poterit illa deduci.

Q. 4. Quo igitur pacto tum Humii scepticismus vitari, tum axiomatum experimentalium certitudo propugnari potest?

R. Humii scepticismus vitabitur, et axiomatum experimentalium certitudo simul defendetur, statuendo, similitudinem inter transactum et futurum ita fundari in experientia ut, *ea praesupposita*, inferatur ex aliquo *principio rationali.*

Hic tamen prius advertendum est, non satis accurate dici, *principia experimentalia praesumere similitudinem inter transactum et futurum;* nam potius haec similitudo deducitur ex universalitate antea constabilita principii experimentalis. Sic v. gr. ex hoc principio « omnis ignis adurit » iure infertur lignum combustum iri si igni admoveatur; seu futurum in hoc genere effectuum simile fore transacto. Ed idem dic de aliis.

Hoc posito, ad propositionem probandam, omnia illa hic repetenda sunt, quae de inductione suo loco

diximus: abunde enim ostensum est, principia experimentalia non ex sola experientia efformari, sed superventu principii causalitatis vel rationis sufficientis, cuius vi detegamus, causam observati phaenomeni vel esse proprietatem aliquam, vel ipsam rei naturam, vel legem a Deo constabilitam. — Quibus peractis, procul dubio futuri cum transacto similitudo fluit sponte sua ex alterutro horum principiorum: causa naturalis (necessaria) eosdem semper producit effectus: leges naturae sunt constantes.

Et hic tandem rite notandum venit, principium illud « futurum simile erit transacto » aliter duobus hisce effatis inniti si in *abstracto*, aliter si in concreto spectetur. — Nam in abstracto spectatum ab experientia non pendet, et per ratiocinium *purum* ex iis deducitur, v. gr. sic: administratio mundi sapiens sit oportet: sed sapientia exigit ordinem et constantiam: ergo leges, quibus mundus regitur, constantes erunt: ergo futurum quod in permansione ordinis consistit, transacto respondeat opus est. — Ubi principium istud, absolute et in abstracto prolatum, rationale est prorsus et certitudinis metaphysicae.

Si vero spectetur in concreto, sc. prout locum obtinet in quolibet rerum ambitu seorsim accepto et peculiares rerum ordines respicit, tunc in applicatione pendet ab experientia, quae per iteratam observationem nos docuit, rem illam, puta aquam, esse naturalem causam illius effectus, nempe refrigerii; et ita principium illud non iudicium est *analyticum* sed *experimentale*, et consequenter certitudinis physicae.

CAPUT VI.

DE SCIENTIA.

Scientiae nomen sumitur multifariam: modo enim opponitur fidei aut etiam opinioni; et tunc generatim significat quamlibet notitiam *certam et evidentem* sive rei per se notae sive cognitae per demonstrationem: modo restringitur ad denotandam rei notitiam, quae ratiocinando ex aliis derivetur. Item quandoque indicat integrum harum notionum systema, quatenus, ratione ordinis, in varias classes dividuntur notitiae illae, prout ordinantur sub principiis, a quibus procedunt. Tandem usurpatur etiam ad ipsum habitum innuendum, qui mentem inclinat ad cognitiones huiusmodi eliciendas.

Caput praesens, omissa prima, tres posteriores significationes retinet; et dividitur in tres articulos, quorum 1.us agit de scientia in communi et de praecipuis scientiae differentiis: 2.us de coordinatione scientiarum: 3.us de earum subordinatione.

Art. 1. *De scientia in communi et de praecipuis scientiae differentiis.*

Q. 1. Quid scientia est prout significat cognitionem aliunde derivatam?

R. Scientia prout significat cognitionem deductam, est effectus ratiocinii; et definiri potest « co-

gnitio certa et evidens per demonstrationem comparata ».

Q. 2. Existitne in nobis scientia huiusmodi?

R. Existit, quia revera ratiocinamur. Causa vero huiusce scientiae in ipsa conditione intellectus nostri cernitur, qui est progressivus in cognoscendo, quatenus nempe principiis cognitis, non illico in ipsis omnia intuetur, quae in iis continentur: unde opus habet, principia per se evidentia ad determinatas materias applicare, et ita ex principiis conclusiones deducere.

Q. 3. Quotuplici via acquiritur scientia?

R. Duplici via acquiritur scientia, inventione nimirum et disciplina. Mens enim ad novas notitias ex principiis per se notis eliciendas, non indiget nisi ut applicet principia illa subiectis quibusdam peculiaribus, quorum vel memoriam retinet, vel actu sumit experimentum. Porro id vel proprio marte mens perficit, et habetur inventio; vel ductu alterius doctioris, et habetur disciplina: ergo. — Ad rem S. Thomas: « Sicut aliquis dupliciter sanatur, uno modo per operationem naturae tantum, alio modo a natura cum adminiculo disciplinae; ita etiam duplex est modus acquirendi scientiam: unus quando ratio naturalis per seipsam devenit in cognitionem ignotorum, et hic modus dicitur inventio; alius quando rationi naturali aliquis exterius adminiculatur, et hic modus dicitur disciplina ». (Qq. Disp. Quaestio de Magistro a. 1°).

Q. 4. Habetne se passive tantum, qui disciplinam recipit, an etiam active?

R. Non passivus tantum sed activus etiam est

qui disciplinam recipit. Nam tum quoque cum quis disciplinam recipit, eius scientia ex interno lumine procedat oportet: vi enim interni luminis percipitur nexus illationis cum principiis, et haec perceptio praebet scientiam. « Sicut pharmaca, ait S. Thomas, quae ministrantur a medico non tribuunt naturae vim medendi, sed tantum vires nonnullas subiecto applicant, ut hoc bene disponatur et influxui naturae recipiendo accomodetur; ita doctor non vim intelligendi largitur aut auget, sed tantum mentem excitat et dirigit, tum *proponendo materiam* cui discipulus applicet lucem principiorum, qua iam instruitur, tum *indicando ordinem*, quo principia disponi debent, ut illationem patefaciant ». (Summ. Theol. 1.ª p. q. 117. a. 1.).

Q. 5. Quaenam scientia perfecta dicitur?

R. Scientia perfecta dicitur quae inducit cognitionem perfectam. Cum vero perfecta cognitio ea sit, quae rem intellectui repraesentat eo modo quo est in se; res autem in se est vi suarum causarum aut rationum sufficientium; hinc scientia perfecta erit quae rem explicat per suas causas aut rationes sufficientes.

Item ea scientia perfecta est, quae plene explet propensionem mentis; atqui mens cupidissime fertur in cognitionem causarum vel rationum sufficientium, et donec ad has perveniat, ab inquirendo non desistit: ergo cognitio rei perfecta non habetur nisi eius cognoscantur causae vel rationes sufficientes.

Q. 6. Undenam scientia speciem sumit?

R. Scientia specificatur ab obiecto, prout subest principiis, vi quorum innotescit. Revera motus quilibet specificatur a *termino*, prout respondet *initio;* sed actus sciendi est motus quidam rationis, cuius *initium* sunt principia per se nota, *terminus* autem sunt obiecta: ergo scientia speciem sumit ab obiecto prout subest lumini principiorum.

Praeterea, scientia est cognitio quaedam: sed cognitio omnis specificatur ab obiecto formali, seu a *ratione sub qua* obiectum attingitur: ergo idem de scientia dicendum est. Sed ratio, sub qua obiectum scientiae attingitur, est quatenus obiectum illud subest luci principiorum, quorum ope menti innotescit: ergo.

Sequitur quod quantumcumque diversa sint per suam naturam scibilia aliqua (obiectum materiale), dummodo tamen per principia eadem sciantur (obiectum formale), ad unam scientiam pertinent. Sic de humanis vocibus et sonis corporum inanimatorum est eadem scientia, nempe musica.

Q. 7. Quo pacto dividitur scientia, inspecto fine ad quem tendit?

R. Scientia, inspecto fine ad quem tendit, dupliciter dividitur, scilicet in *speculativam* et *practicam.* — Speculativa est quae pro fine habet solam veritatis contemplationem, in qua immediate sistit, ut: Deus est immensus. Practica est, quae ipsam contemplationem veritatis refert ad operationem, ut: non est faciendum aliis quod nobis fieri nolumus.

Quae divisio ex ordine etiam patet, quem

scientia habet ad subiectum, quod perficit; subiectum enim scientia perficit vel mera notitia, vel operatione, quae ex notitia consequitur.

Q. 8. Intellectus speculativus et practicus differuntne inter se?

R. Intellectus speculativus non differt a practico nisi fine. Nam speculativus pro termino habet notitiam rei, practicus autem opus, ad quod notitiam ipsam dirigit: hinc illud effatum: « intellectus speculativus extensione fit practicus ». Ad rem. Clemens Alexandrinus: « veritatis alia quidem est pars, quae versatur in cognitione; alia vero in actione; profluxit autem a contemplatione ». (Stromatum 6).

Difficultates.

D. 1. Videtur quod scientia non acquiratur inventione; in hac enim hypothesi mens gigneret veritatem; atqui veritas, utpote aeterna, gigni nequit: restat ergo quod veritas acquiratur disciplina et non alia via.

R. Dicendum quod veritas alia est obiectiva, alia subiectiva. Obiectiva non est mentis actus, sed id quod actui mentis relucet; et haec non producitur, sed detegitur: insuper haec prout a mente nostra concipitur, aeterna dicitur *negative*, prout nempe praescindit a tempore.

Si vero agitur de veritate subiectiva quae in nobis est, ac definitur consensio conceptus cum obiecto seu in concreto ipse conceptus obiecto conformis, haec utique produci potest et revera producitur a mente,

cuius est actus; non tamen ab ipsa sola, sed a mente simul et obiecto. Porro veritas hoc modo sumpta non est aeterna in creaturis, ut patet, sed temporanea. In Deo autem, cuius ideae archetypae a sua ipsius essentia et existentia non distinguuntur, veritas obiectiva, sicut etiam subiectiva, aeternitatem habet positivam.

D. 2. Cognitio per causam non videtur esse perfecta; nam cognoscere per causam est cognoscere per aliquid rei extrinsecum, dum contra perfectio cuiusque rei ab intrinseco derivatur.

R. Dicendum 1.° quod non omnis causa est extrinseca rei; nam causa materialis et formalis intimam rei essentiam constituunt: qui ergo per has causas rem cognoscit, per aliquid plane intrinsecum eam cognoscit. Deinde quis non videt, longe perfectius esse per omnes causas, nempe etiam per finalem, exemplarem et efficientem, quam per aliquas tantum res cognoscere? — Et illud tamen negari nequit quod si plene cognosceretur effector, quatenus est rei effector totalis et adaequatus, ceterae etiam causae ignorari non possent.

D. 3. Quod rem intrinsecus constituit, dat rei speciem: ergo scientia non ab obiecto, quod ipsi extrinsecum est, sed a propria entitate speciem sumit.

R. Dicendum quod hic non agitur de specificativo intrinseco scientiae, sed de extrinseco, a cuius influxu ipsa scientiae entitas intrinseca determinatur seu specificatur; et ideo hoc specificativum recte sumitur ab obiecto formaliter considerato. — Ratio autem cur hic recurritur ad specificativum extrinsecum in eo est, quod scientia

et generatim omnis cognitio, est veluti imago obiecti eiusque expressio: unde, qua talis, intelligi nequit nisi in ordine ad suum exemplar.

ART. 2. *De partitione et coordinatione scientiarum.*

Q. 1. Scientia sumpta seorsum pro simplici demonstrationis effectu postulatne dividi et coordinari?

R. Cum multitudo, nisi ordine instruatur, confusionem gignat; scientia vero sumpta seorsum pro simplici demonstrationis effectu, multitudinem infinitam notionum exhibeat (tot enim scientiae sunt, quot demonstrationes institui possunt); hinc, ut confusio vitetur, earum divisio et coordinatio maxime necessaria est. Et revera videmus quod sapientes omni tempore coordinationem huiusm. perficere conati sunt, scientiamque ad aliquam unitatem reducere.

Q. 2. Quanam norma usi sunt sapientes ad hanc divisionem et coordinationem perficiendam?

R. Non omnes eadem norma usi sunt ad divisionem et coordinationem scientiarum perficiendam: alii enim considerationem converterunt ad diversas potentias, quibus in cognitione utimur; alii ad diversa genera obiectorum prout differunt realitate; alii ad diversas formas, sub quibus veritas nobis offertur. S. Thomas pro regula scientiarum partiendarum assumpsit diversum gradum abstractionis, quo res intellectui contemplandae obiiciuntur.

Q. 3. Quaenam ex hisce regulis praeferenda est?

R. Illa regula praeferenda videtur, quae scientias dividit secundum diversos abstractionis gradus. Et sane generalis divisio actuum alicuius potentiae optime desumitur ex differentia illius characteris, quo obiectum efficitur idoneum ut per se ab illa potentia attingatur: atqui abstractio est character huiusmodi; nam obiectum prout concrete in individuo consideratur, est per se obiectum sensus, non mentis: contra prout abstractioni subest, fit idoneum ut per se ab intellectu attingatur: ergo ex diverso abstractionis gradu iure ratio desumitur generalis divisionis scientiarum, prout sub se comprehendunt illationes non modo, sed etiam principia a quibus derivantur.

Praeterea scientia est non de singularibus, sed de universalibus; nam circa singularia versatur historia: atqui universalia fiunt per abstractionem; et quo est altior abstractio, eo obiectum latius patet: ergo abstractio efficit obiectum scibile et ingenerat diversos scibilitatis gradus. Sed scientia dividitur iuxta diversitatem scibilium: ergo.

Q. 4. Quo ergo pacto, iuxta hanc regulam, dividi scientia potest?

R. Scientia, inspecto abstractionis diverso gradu, dividitur in quinque primarias, nempe Physicam, Mathematicam, Metaphysicam, Logicam et Moralem.

Et sane, iuxta praedictam regulam, tot scientiae constitui debent, quot sunt scibilium ordines diversi, ex abstractione resultantes: atqui huiusm. ordines quinque sunt, iisque respective respondent scientiae enumeratae.

Revera primus abstractionis gradus est, ut mens avocetur a sola materia *individuali*, non autem a materia sensibili; et huic respondet Physica, quae pro obiecto habet ens sensibiliter mutabile.

Secundus gradus est, ut praecisio fiat etiam a materia sensibili, non tamen a materia *intelligibili;* quatenus nempe consideratur ens corporeum sub sola notione quantitatis, remota omni mutabilitate sensibili; et huic respondet Mathematica, quae pro obiecto habet ens *quantum*, sive discretum ut in numeris, sive continuum ut in figuris.

Tertius gradus est quo ab omni materia omnino praescinditur, et consideratur ens immateriale sive praecisive, sive negative; idest quatenus vel spectantur rationes, quae etiam extra materiam inveniri possunt, ut notiones causae, substantiae et similium, vel spectantur substantiae, materiam a se penitus excludentes, ut animus humanus, et maxime Deus; et huic respondet Metaphysica, quae pro obiecto habet ens immateriale.

Tandem ultimus gradus est ut praescindatur ab ipsa obiecti realitate, et res considerentur reflexe prout in actu animi vel cognoscitivo vel affectivo subsistunt. — Qui quidem gradus necessario in duplicem ordinem distribuitur, prout scilicet obiecta refert ad intellectum vel ad voluntatem, eorumque aut idealitatem aut moralitatem considerandam exhibet. Horum autem priori respondet Logica, quae ens ideale considerat; posteriori vero Moralis, quae pro obiecto habet ens morale.

Q. 5. Possuntne recte sub hisce quinque supremis reliquae omnes scientiae coordinari?

R. Reliquae scientiae omnes sub hisce quinque supremis recte ordinantur. Revera principia, quibus uti potest scientia quaevis, vel colliguntur experientia sensibili, ut fit in physica; vel consideratione mentali numerorum et figurarum, ut in mathematica; vel notionibus universalibus a materia abstrahentibus, ut in metaphysica; vel reflexione supra actus mentis in verum dirigendos, aut supra actus voluntatis dirigendos in bonum, ut in logica et in morali: ergo quaevis scientia ex aliqua praedictarum scientiarum sua principia derivat: sed scientia, quae principia quibus utitur, ab alia desumit, sub ipsa iure ordinatur: ergo.

Et quidem, quae hic de scientiis dicta sunt, de artibus etiam cum proportione sunt dicenda: nam praecepta, quibus artes reguntur, principiis fundantur ad aliquam ex quinque primariis scientiis pertinentibus.

Difficultates.

D. 1. Scientiae sunt divisae vi naturae; ipsae enim speciem recipiunt ex obiectis per se diversis: ergo non indigent dividi vi artis, nec consequenter secundum diversos abstractionis gradus.

R. Dicendum quod divisio ex diversitate rerum singularium desumpta non praeberet nisi immensam multitudinem sine ullo ordine: unde fit ut scientiae indigeant dividi ope artis.

Ceterum etiamsi vi naturae haberetur perfecta et ordinata divisio, nihil tamen prohiberet, quominus, proposito novo fine, nova divisio a sapientibus induceretur.

D. 2. Ergone sapientes naturam corrigunt?

R. Sapientes naturam non corrigunt, sed sequuntur; natura enim idcirco hominem ratione donavit, ut ea uteretur ad plura determinanda, quae ipsa non determinavit per se, sed normas tantum proposuit quas sectari oportet. Prout in lege morali etiam inspicitur quae non omnia singillatim definit, nec poenas statuit pro quolibet delicto infligendas; sed ad hoc natura destinavit publicam auctoritatem in societate instituendam.

D. 3. Si scientiarum divisio pendet ab arte, erit omnino arbitraria; nullo igitur pacto poterit disputari quaenam sit divisio praestantior.

R. Dicendum quod ars pendet a libertate quidem, sed ita ut haec a ratione regatur ac eidem obtemperet: natura vero etsi divisionem scientiarum ordine determinato per se non fecerit, fundamentum tamen praebuit, quo in ea peragenda ratio inniteretur. Hoc vero fundamentum diversis abstractionis gradibus optime constituitur, ut ex praedictis patet.

D. 4. Divisio quae desumitur ex diversis gradibus abstractionis non videtur probanda: nam obiecta quae per hanc divisionem assignantur uni scientiae, saepe tractantur ab alia. Sic Psychologia, quae pars est Metaphysicae, agit de corpore humano, quod ad Physicam pertinet; et idem dic de aliis.

R. Dicendum quod duplex scientiarum obiectum distingui debet, nempe obiectum *per se seu attributionis*, et obiectum per *accidens seu attributum.* Et dicitur obiectum per se seu attributionis obie-

ctum, genere saltem unum, quod *primo et per se* respicitur a scientia aliqua; dum contra obiectum per accidens seu attributum est illud, quod utique a scientia eadem attingitur sed secundario, nimirum propter aliquem respectum, quo ad obiectum *attributionis* refertur. Sic Psychologia considerat quidem corpus humanum, sed quatenus ad animam, a qua informatur (et quae obiectum primarium psychologiae constituit), ordinem habet.

Et ideo generatim dicendum est quod quamvis obiecta aliqua a diversis scientiis quandoque tractentur, non tamen ita tractantur ut singulae illae scientiae ea obiecta attingant per se sed per accidens; sc. non ita ut omnes illa obiecta respiciant tamquam obiectum attributionis, sed, praeter unam, ceterae ut obiectum attributum.

D. 5. Saltem divisio quinaria non est sufficiens; gradus enim abstractionis sunt plures quam enumerati. Sic v. gr. abstractio, qua consideratur ens immateriale *negative*, est altior abstractione, qua consideratur *praecisive*: ergo.

R. Dicendum quod cum sermo est de scientiarum divisione *suprema et primaria,* non quilibet abstractionis gradus, sed *primarii* tantum considerandi sunt, secundariis omissis. At vero diversitas, quae viget inter abstractionem respicientem ens immateriale *negative*, et eam quae respicit ens immateriale *praecisive*, secundaria tantum est, non primaria; sive enim substantias a materia separatas, sive notiones ab ea separabiles contemplemur, semper verum est, in huiusm. consideratione nos supra sensum et imaginationem evehi oportere et solo intellectus lumine perduci: ergo.

D. 6. Gradus abstractionis Logicae non est diversus ab eo quo utitur Moralis; nam uterque in eo consistit quod obiectum consideretur non secundum esse reale, sed secundum relationem ad actus animi: ergo ex hac parte saltem non est bona partitio.

R. Dicendum quod, posito etiam quod gradus abstractionis Logicae non sit formaliter diversus ab eo, quo Moralis utitur, diversus est tamen aequivalenter; hoc ipso enim quod obiectum refert ad duplicem adeo diversam facultatem (intellectum nempe et voluntatem), duplicem ordinem scibilium inducit. Nam non modo affert diversissimum aspectum considerandi obiectum, sed etiam principia praebet toto genere differentia. Insuper novam utrinque superandam difficultatem includit, quae ex una parte nascitur ex reflexione mentis supra proprios actus, ex alia ex passionum tumultu iudicia mentis in re morum obnubilantium.

D. 7. Sunt aliquae scientiae mixtae, quae sumunt principia a duabus simplicibus, ut ex. gr. Astronomia et Mechanica, quae Mathesis simul et Physicae utuntur lumine: hae igitur sub neutra earum ordinari poterunt.

R. Dicendum quod mixtae ordinantur sub utraque scientia, cuius lumine utuntur; ex utraque enim simplici sua mutuantur principia, et utriusque ordinis obiecta participant.

Art. 3. *De scientiarum subordinatione.*

Q. 1. Estne aliqua e quinque primariis scientiis praedictis, quae alteri proprie subalternetur; et, quatenus negative, potestne poni inter easdem subordinatio saltem latius sumpta?

R. Nulla est e quinque scientiis primariis, quae *proprie* alteri subalternetur; si vero non de proprie dicta subalternatione, sed de subordinatione agatur latius sumpta, haec inter ipsas existere dicenda est.

Probatur 1.ª pars. Veri nominis subalternatio postulat ut obiectum scientiae inferioris *ex restrictione* resultet obiecti scientiae superioris, principiisque innitatur ad ordinem eumdem pertinentibus. Sic corpus sanabile, quod respicitur a medicina, resultat ex contractione amplioris obiecti Physicae, quod est generatim ens mutationibus sensibilibus obnoxium; et principia utriusque scientiae ex sensibili experientia aeque colliguntur. Atqui e quinque scientiis primariis nulla est, de qua dici id possit respectu alterius; nam earum quaeque habet obiectum plane diversum; et quamvis utatur principiis metaphysicae, his tamen addit principia propria alterius plane ordinis: ergo. — Et dixi, e quinque primariis: nam si de secundariis loquimur, has ad quinque primarias respective revocari tamquam ad primigenios fontes, iam supra notatum est. Quae quidem reductio non subiectio est qualiscumque, sed vera subalternatio, cum obiectum et principia inferioris scientiae in eodem versen-

tur ordine ac superioris, limitatione tantum adiecta angustioris circuli, in quo spatientur.

Si vero, (quod pertinet ad 2.^{am} partem), non agitur de subalternatione proprie dicta, sed de subordinatione late sumpta, tunc aliqua est e primariis cui ceterae subsunt; et potest haberi ut talis, sub diversa ratione, tum Moralis, tum Logica, tum Metaphysica: et sic probatur. — Ad concipiendam latiorem subordinationem sufficit quivis influxus et regimen unius scientiae in aliam: atqui sub diversa ratione hoc reapse contingit de tribus praedictis scientiis respectu aliarum.

Revera Moralis disserit de fine ultimo hominis et de prudentia, quae ad finem hunc dirigit: at vero ultimus finis est regula finium omnium inferiorum; prudentia autem temperare debet actiones omnes humanas, ac ideo scientiam ipsam: ergo ratione finis scientia moralis aliis omnibus scientiis praeest, in easque exercet influxum quemdam.

Logica, quoad se, speculatur ordinem in rationis actibus generatim ponendum ut progressus in veritate assequenda tuto habeatur: igitur ex hac parte legem aliis scientiis indicit, quatenus ratiocinatione et mentis actibus rite ordinatis uti debent.

Tandem Metaphysica notiones reales contemplatur communes omnibus entibus. Porro hae notiones, quatenus sunt *reales*, ipsi ideali enti praebent fundamentum; enti inquam ideali, quod Logicae obiectum constituit: quatenus autem sunt speculativae, substernuntur Morali, cum operatio sit speculationis veluti extensio: denique quate-

nus sunt universalissimae, in ipso obiecto Physicae et Mathesis latent implicite: unde sequitur quod principia quae ex metaphysicis notionibus emergunt, aliqua semper ratione in principia aliarum scientiarum influant; quae idcirco Metaphysicae dominatui ex hoc capite subiiciuntur.

Et hinc igitur manifeste habes quod tres praedictae scientiae *ternarium* illud exhibent, quod propter principatum in ceteras disciplinas, mutuumque influxum singularium partium inter se, magis proprie Philosophiam constituit, atque ad discendum prae omnibus est necessarium.

Q. 2. Quo igitur pacto Metaphysica saepe dicitur ita prima ut reliquae omnes disciplinae naturales ipsi subordinentur?

R. Metaphysica dicitur prima spectata absolute in ratione scientiae, et talis reapse sub hoc respectu dicenda est. Nam scientiae illi in ratione scientiae competit dominatus, cuius obiectum in ratione *scibilis* est praestantissimum, et cuius principia reliquarum principiis praebent fundamentum: sed Methapyhsica est huiusmodi. Et sane obiectum Metaphysicae est ens immateriale praecisive vel negative sumptum: ergo huiusmodi est ut maxime a materia recedat: atqui quo obiectum aliquod magis a materia recedit, eo est etiam magis scibile: ergo.

Insuper inter obiecta Metaphysicae eminet Deus, qui obiectorum mentis supremum est, et cuius notio maxime est necessaria ad illustrandas ac perficiendas omnium aliarum scientiarum notiones: ergo.

Si dicas, Moralem etiam respicere Deum, nimirum tamquam ultimum hominis finem; id ultro concedimus: sed imprimis Dei notio, quam praebet Moralis, in notione Dei fundatur, quam suppeditat Metaphysica: deinde huiusm. notio Dei, quam affert Moralis, est practica, non speculativa, ac proinde non perficit alias scientias nisi quatenus cum operatione humana colligantur: unde in ratione scientiae primatus competit Metaphysicae.

Ceterum quod principia Metaphysicae ceterarum scientiarum principiis pro fundamento sint, manifeste patet; nam metaphysicae principia e notionibus, quae omnibus entibus sunt communes. magna ex parte efflorescunt, ac proinde maxima amplitudine et universalitate fruuntur.

Q. 3. Cuinam tandem scientiae, si non de puro ordine naturali, sed de *Encyclopedia christiana* sermo sit, competit absolutus primatus?

R. Licet in puro ordine naturali suprema scientia sit Metaphysica, ut dictum est; supposito tamen supernaturali ordine et fide, altior exurgit scientia, quae ex principiis *revelatis ratiocinatur* de Deo, deque omnibus quae ad Deum referuntur; et est Theologia *Scholastica*; quae sic nominatur tum ut distinguatur a simplici fide, (quae etiam quandoque a SS. Patribus Theologia absolute appellari solet), tum iterum ab ea disciplina, quae Scripturarum, Conciliorum et Patrum studio dogmata revelata statuit, ideoque dicitur Theologia *positiva*.

Quod vero Theologia huiusm., nempe Scholastica, supremum in scientiis gradum sibi vindi-

cet, nulli dubium. Nam non modo versatur circa *obiectum praestantissimum*, sed etiam *altiore lumine* utitur, idest lumine divinae revelationis, quod maiorem firmitatem assensui praestat, quam quodvis lumen naturale.

Nec obest quod principia revelata, quibus haec Theologia nititur, evidentia destituantur. Nam 1.° hic evidentiae defectus abunde compensatur a maiori certitudinis gradu, propter auctoritatem Dei, in qua illa principia fundantur: — 2.° principia, quae a revelatione Theologia mutuatur, saepe sunt eiusmodi ut quoad veritatem quam continent, naturae lumen non excedant; quo in casu eorum naturalis evidentia non expellitur, sed novo donatur robore a divina revelatione quae adiungitur. — 3.° Cum vero agitur de principiis, quae vim naturalis luminis prorsus exsuperant, habetur tunc obiectum omnino naturam transcendens; quo sub respectu Theologia Scholastica, nonnisi cum scientia Beatorum scilicet visione Dei immediata, non autem cum scientiis naturalibus, quae illi obiecto attingendo impares sunt et prorsus extraneae, comparari potest. Quare ex hac parte Theologia Scholastica non respectu scientiarum naturalium, sed respectu scientiae Beatorum, imperfecta dicitur. — 4.° Denique in aliis etiam scientiis saepe contingit ut ipsae principia nonnulla assumant tamquam demonstrata in superiori scientia, vel experimentis fundentur alias aut alibi institutis, quin tamen idcirco a ratione scientiae deficiant. Sic accidit in scientiis subalternatis, quae sine subalternante quan-

doque addiscuntur. — Porro Theologia est scientia subalterna scientiae divinae, ex eaque mutuatur principia sua. Haec igitur principia supponit esse evidentia in altiore illa scientia, eorumque notitiam ex revelatione (qua solum in praesenti innititur) accipiens, ad conclusiones evidenter deducendas gradum facit. Sic se habens, etsi ad perfectissimam rationem scientiae non assurgit (haec enim omnium principiorum, quibus utitur, evidentiam requireret), retinet tamen rationem verae scientiae subalternatae, quae multiplici ex capite omnes scientias naturalis ordinis antecellit, ut ex dictis patet.

CAPUT VII.

DE METHODO.

Veritas est finis tendentiae vel motus hominis. Homo autem ut eam assequatur, opportuno ordine actiones suas donare debet, prout huiusmodi finis postulat; nimirum rectam viam vel methodum sequatur oportet, ut veritatem sibi comparet. Item opus est ut aliquod initium sui motus habeat. — Agendum est igitur 1.° de recta via seu de methodo vera et tenenda in scientiae assecutione, nimirum de analysi et synthesi: 2.° de Cartesiana methodo respuenda: 3.° de iis, a quibus philosophandi initium est sumendum; quae omnia tribus articulis expedientur.

Art. 1. *De analysi et synthesi.*

Q. 1. Quid et quotuplex est methodus?

R. Methodus est modus ordinate procedendi in scientiae acquisitione.

Et autem duplex, nimirum analytica et synthetica. — Analytica est quae resolvit quaestiones in sua principia, effectus in causas, composita in suas partes, particularia in universalia, sub quibus continentur. — Synthetica est qua ab universalibus ad particularia, ab elementis ad compositum procedimus. — Analytica ergo resolvit, synthetica componit.

Q. 2. Quibusnam aliis nominibus donatur methodus tum analytica tum synthetica?

R. Methodus analytica dicitur etiam methodus *inventionis*, quia ad veritatem investigandam inservit; item *ascendens*, quia a particularibus ascendit ad generalia; item *inductiva*, quia inductione uti solet; item *experimentalis et a posteriori*, quia experientia nititur, et ab effectibus ad causas, a conclusionibus ad principia progreditur.

Synthetica contra dici etiam solet methodus *deductiva et demonstrationis*, quia ratiocinio res inventas demonstrat, et in docendo maxime adhibetur; item *descendens*, quia ab universalibus, descendit ad particularia; item *rationalis et a priori*, quia rationis purae ideis et principiis innititur, et a principiis ad conclusiones, a causis ad effectus procedit.

Q. 3. Quaenam mentis operationes constant analysi et quaenam synthesi?

R. Constant analysi operationes quibus mens abstrahit, inducit, definit etc.: constant vero synthesi illae, quibus mens iudicat, ratiocinatur, classificat etc.

Q. 4. Quaenam Methodus aptior erit in scientiis tradendis?

R. Distinguendum est: aliter enim de quaestionibus singulis, et aliter de earumdem ordinatione et structura qua in unum quasi corpus conflantur, definiendum est. In priori casu modo analysis, modo synthesis erit adhibenda pro rei opportunitate et natura; et haec dicitur methodus mixta: in posteriori certe synthesis adhibenda est, ita nimirum ut simpliciores quaestiones complexis praeponantur.

Q. 5. Existitne scientia aliqua, quae unice utatur alterutra methodo?

R. Nulla est scientia, quae unice alterutra methodo utatur, sed quaeque necessario utramque coniungit. Omnis enim scientia utitur analysi cum sit de rebus; et iterum utitur synthesi cum scientia quaevis iudiciis constet et ratiociniis. — Quare scientia aliqua dicitur analytica vel synthetica prout, non unice, sed magis huic vel illi methodo adhaeret.

De Methodi legibus.

Q. U. Quot et quaenam sunt Methodi leges?

R. Methodi leges sunt septem, nimirum sequentes:

1.ª Res disceptanda dilucide proponi debet, et definitione, quae nomen explicet, a ceteris est secernenda; secus disceptatio incerta procederet.

2.ª Quaestio diligenter in partes, quas complectitur, est dividenda; nam notitia rei rite acquiri non potest, nisi eius singula elementa considerentur; ea autem difficillime collectim considerari possunt.

3.ª Partes illae, quae ad rei substantiam non pertinent, resecandae sunt, alias considerandae, ne mens nimium gravetur aut confundatur.

4.ª Elementa quae remanent, sub omni respectu perpendenda sunt; lux enim partium lux est totius; item considerandae sunt relationes partium ad partes, et partium ad totum.

5.ª Initium ab iis ducendum est, quae lumen afferunt aliis, generalioresque notiones suppeditant.

6.ª Principia, quae ad considerationem iuvandam assumuntur, idonea et certa seligenda sunt: hinc vel per se evidentia erunt, vel iam ante evidenter demonstrata.

7.ª Notio obiecti ex fonte proprio unde dimanat, firmanda est; nempe ex experientia sensuum vel ex conscientia, si sermo sit de obiecto reali, quod immediate percipiatur; ex intelligentia vero et ratione si de ideali obiecto sermo sit.

Art. 2. *De dubitatione Cartesiana.*

Q. 1. Quamnam methodum tenendam esse censuit Cartesius ad aedificium scientiae in nobis, remotis erroribus, extruendum?

R. Ad aedificium scientiae in nobis, remotis omnibus erroribus, extruendum Cartesius necessarium esse censuit, *semel in vita de omnibus prorsus dubitare;* scilicet non modo de iis quae sensus et memoria suppeditant, sed etiam de ceteris, quae intelligentia et ratio praebent, seu tum de principiis per se notis, tum de conclusionibus ex iis deductis; immo et de ipsa veracitate facultatum nostrarum.

Id importat dubitatio Cartesii; quae quidem methodica dicitur, quia Scepticismum ad tempus inducit, tamquam methodum, qua utamur ad certitudinem philosopho dignam assequendam.

Q. 2. Estne aliqua facultas in nobis, quam Cartesius exceperit a dubio illo universalissimo?

R. Cartesius, ut ex eius processu perspicitur, a dubio illo universalissimo unice excepit conscientiam: ex ea autem ope individualis evidentiae integrum systema nostrarum cognitionum nos renovare posse putavit.

Q. 3. Quonam igitur processu, iuxta Cartesium, instauratio huiusmodi perficienda est?

R. Iuxta Cartesium instauratio huiusm. fit omnino sequenti processu:

1.° Quisque monetur a sua ipsius conscientia se dubitare, seu, quod idem est, cogitare; simulque perspicit, eum qui cogitat, non posse non existere. — Hinc illud inconcussum: « cogito; ergo sum ». Quae cognitio est prima et certissima, cuilibet philosophanti occurrens.

2.° Hac autem cognitione semel posita, statim exurgit ea lex universalissima « illud omne est verum quod satis clare et distincte percipitur »

vel « quidquid continetur in idea clara et distincta verum est ».

3.° Atqui, prosequitur ipse, nos habemus ideam claram et distinctam Entis perfectissimi, quod proinde, ut tale, *existentia* et *veracitate* gaudet: ergo Deus existit et est verax.

4.° At si Deus est verax, nostrae facultates cognoscitivae veraces etiam erunt, iisque veritas tuto detegi poterit; secus enim ipse Deus nos decipere dicendus esset: ergo earum ope aedificium scientiae in nobis, remotis erroribus, extrui poterit. Ita Cartesius.

Q. 4. Quid de hac Cartesiana methodo dicendum est; et imprimis estne prudens dubium, quod Cartesius adstruit, nimirum universale?

R. Dubium, quod adstruit Cartesius, universale, non modo non est prudens, sed impossibile et absurdum est. Non est prudens; quia prudens dubium circa ea versatur de quibus aliqua ratio adest dubitandi; non vero circa illa quae perspicuitate propria et ineluctabili menti perlucent. — Sed insuper est impossibile, quia mens utpote facultas cognoscitiva veri et ex se necessaria, a vero evidenter cognito nequit refugere. — Tandem est quam maxime absurdum, ut iam ex praedictis patet, et ex sequentibus melius patebit.

Et hinc iam sequitur, Cartesii methodum nullo modo sumi posse ut initium philosophandi; quod quidem multiplici ex capite demonstratur.

Primo, quia si, ut vult Cartesius, de veracitate intelligentiae, rationis, aliarumque facultatum dubitandum est, non superest ratio cur de conscientia

aeque non dubitemus; quae enim rationes pro conscientia militant, eae pro ceteris etiam facultatibus afferuntur: atqui si pro aliis potentiis nutant, pro conscientia quoque nutare dicendae sunt; hoc vero ad scepticismum ducit: ergo etc. — Atque id eo magis obtinet quatenus conscientia est actus intelligentiae. Nam si intelligentia non est verax, quomodo erit huiusmodi actus eius? — Praesertim quod intelligentiae veracitate in dubio posita, ipsum principium contradictionis, quod est eius obiectum, eo ipso nutat: tali autem principio sublato, simul omnis certitudo, etiam conscientiae, corruit.

Secundo, quia, posita etiam conscientiae veracitate, nunquam ex ipsa demonstrari posset aliarum facultatum veracitas; tum quia conscientia est testis earum existentiae et actionum, non vero iudex earum veracitatis; tum quia ut circa ipsarum veracitatem examen aut demonstrationem inchoaret, non modo plura quae ad conscientiam pertinent, sed multa etiam quae spectant ad alias facultates, ut inconcussa et evidenter cognita, praesupponenda forent; v. gr. vis rite comparandi ideas, iudicandi, ratiocinandi etc.; et sic intellectus et rationis veracitas, de qua adhuc quaeritur, subaudiretur.

Tertio, quia ex sola idea clara et distincta Entis perfectissimi, numquam Dei existentia deduci posset; tum quia idea illa in *subiectivo* versatur ordine, et sic de se ad ordinem obiectivum transire nequit, cum nil per se transilire queat ordinem quo continetur; tum quia iure dubitaretur de eius ve-

ritate; nam idea est opus intelligentiae, cuius veracitas in Cartesiano systemate adhuc sub iudice est, cum ex Dei existentia et veracitate derivari debeat; tum denique quia ut ex idea clara et distincta entis perfectissimi ipsius existentia inferatur, profecto ratiocinio opus est; et sic iterum praesumeretur rationis veracitas quae probanda foret.

Quarto, quia ut ex divina veracitate nostrarum facultatum veracitas argueretur, rursus ratiocinio opus esset, priusquam constaret de veracitate rationis.

Quinto tandem quia Cartesius ipse, veritate coactus, hoc suum systema tum re, tum verbis penitus repudiavit.

Art. 3. *De iis ex quibus philosophandi initium sumendum est.*

Cum principium in genere dicatur id, ex quo alterum utcumque procedit, hinc principia demonstrationis erunt id, ex quo demonstratio exordium ducit. — Porro principia, ut iam supra dictum est, alia sunt prima et per se nota, alia secundaria et nota propter aliud. — Item ex principiis primis alia sunt communia, quae a quolibet intelliguntur, vix intellectis terminis, ut: totum est maius sua parte; alia *propria*, quae nonnisi a peritis in ea scientia, ad quam pertinent, capiuntur, ut: omnes anguli recti sunt aequales; angelus non est in loco. — Item alia sunt *experimentalia* seu observatione et experimento comperta, ut: corpora sunt gravia; alia *rationalia*,

seu quae per immediatam intuitionem idearum percipiuntur, ut: quidquid fit, causam habet.

Insuper cum quaeritur undenam initium philosophandi sumi debeat, quaeri id potest quoad partem rationalem, vel quoad partem experimentalem. Hisce positis, sit

Q. 1. In quo *initium philosophandi* reponendum est, quoad *partem rationalem?*

R. Initium philosophandi, quoad partem rationalem, in principiis per se notis quae demonstrationi non sunt obnoxia, reponendum est.

Nam 1.° ea sunt principia philosophandi, in quae ultimo conclusiones resolvuntur; atqui, ad partem rationalem quod attinet, conclusiones ultimo resolvuntur in principia per se nota: ergo.

Secundo ea sunt principia philosophandi, sine quibus demonstratio omnis fit impossibilis; atqui si non praesumantur principia per se nota, vel si ipsa etiam sint demonstranda, omnis demonstratio impossibilis evadit; si enim ea quoque demonstrari egeant, tunc habetur processus in infinitum, et nulla in scientiis remanet certitudo: ergo, quoad partem rationalem, initium philosophandi etc.

Q. 2. In quo *initium philosophandi* reponendum est, quoad *partem empiricam?*

R. Initium philosophandi, quoad partem empiricam, in *evidenti perceptione sensuum aut conscientiae* reponendum est. — Et sane initium philosophandi, quoad partem empiricam, reponi debet in eo, quod *immediate* refert rerum aliquarum *existentiam;* atqui *existentia* rerum nobis non refertur *immediate* nisi aut sensibus aut conscientia: ergo.

Probatur maior. In hac hypothesi nobis ad *existentiam* seu ad ordinem *realem*, concludendum est; agitur enim de parte empirica: atqui ut ordo realis attingatur, omnino requiritur ut ipsa existentia per se apprehensa fundamentum supponat ratiocinationibus, quibus aliarum rerum existentia deducatur; aliunde vero ex mero ordine ideali ad realem deveniri nequit, cum nihil det quod non habet: ergo.

Probatur minor. Existentia seu realis ordo immediate per se non attingitur nisi aut sensibus aut conscientia; nam ad intellectum quod attinet, is directe et per se nonnisi ideas et relationes idearum attingit, ex quibus prima iudicia mentis exurgunt; quare philosophandi initium suppeditare nequit nisi quoad partem rationalem. Ad rationem vero quod spectat, haec functionem secundariam importat, quatenus ex veritatibus iam notis ad alias detegendas discurrit, ac proinde scientiae initium non *exhibet* sed supponit.

Ergo e cognoscendi mediis non remanent nisi sensus aut conscientia, quae rei, de qua agitur, optime quidem respondent; siquidem sensibus exteriora facta, conscientia vero facta interiora immediate percipiuntur. — Et hinc est quod philosophia, quae processum sequitur naturalem, primum de rebus creatis, deinde de Deo perscrutatur.

Q. 3. Si inter *sensum* et *conseientiam* comparatio instituatur, initium philosophandi, quoad hanc partem *empiricam*, ubinam primitus collocandum est?

R. Si comparatio sensum inter et conscientiam instituatur, initium philosophandi, quoad ipsam partem empiricam, in consideratione *exterioris* naturae, quae *sensibus* renuntiatur, primitus collocandum est. Revera processus *philosophicus* relegit quodammodo et commentatur processum *naturalem*, quo cognitio in nobis evolvitur: at vero naturalis processus est, ut primum *sensibus* apprehendamus *exteriorem* naturam; deinde, reditu mentis, in nos nostrasque affectiones revertamur; et ita demum ex utriusque obiecti notitia ad primam omnium causam contemplandam ascendamus. Ac reapse res ita se habere debet: nam conscientia actu reflexo constat; actus autem reflexus *directum subaudit*: atqui quoad *realem existentiam immediate* cognoscendam actus directus esse nequit nisi perceptio sensibilis, naturam exteriorem attingens; conscientia enim est actus reflexus ut diximus; intellectus autem versatur in ideis, ratio tandem in deductionibus: ergo.

Q. 4. Quid dicendum de sententia Theodori Jouffroy, qui principium et fontem humanae certitudinis ponendum esse docet in actu *caecae fidei*, quam nos adhibeamus naturali veracitati facultatum nostrarum?

R. Dicendum sententiam huiusm. scientiam omnem funditus evertere: nulla enim perfectio, ut per se patet, in scientiae *processu* reperiri potest, qua principium caret, *unde derivatur;* quare in hac hypothesi evidens notitia rerum a mente humana prorsus exularet, nec aliud haberetur nisi instinctus Reidiani vel Kantiani formalismi instauratio.

Hac igitur sententia iure meritoque reiecta, notandum 1.° est actum sciendi primigenium, ex quo mens seriem inchoat suarum cognitionum, minime versari in veracitate cogitanda facultatum nostrarum, sed obiectum aliud ab animi facultatibus diversum respicere. Quod vero ad certitudinem veracitatis nostrarum facultatum attinet, haec in ceteris cognitionibus latet implicita; quae dein reflexione animi in semet redeuntis evadit explicita.

Dein notandum est eiusm. reflexam cognitionem, etiam cum reditu illo animi fit explicita, non esse actum caecae fidei, sed evidentem veritatis cuiusdam intuitum: nam facultates cognoscendi per se non falli, principium est per se notum, quod terminos consideranti evidenter apparet; si enim contrarium fingitur, in apertam conceptuum pugnam fit lapsus, et ipsa facultatis cognoscitivae notio obliteratur.

Difficultates.

D. 1. Si initium philosophandi, quoad rationalem partem, collocaretur in aliquibus principiis per se notis, collocaretur in re, cui sine ratione assentiremur: atqui hoc repugnat philosopho: ergo.

R. Dicendum quod principiis per se notis non sine ratione assentimur; est enim optima ratio assensus eorum intrinseca evidentia, quae sane stabilior ratio est vel saltem aeque stabilis ac sit quaevis demonstratio; ideoque mens de iis demonstrationem non quaerit, quia eorum veritatem iam contemplatur.

D. 2. Si ita est, tunc certitudo philosophica non differret a vulgari; nam etiam homo rudis tum principia cognoscit tum ex iis conclusiones derivat.

R. Dicendum quod inter certitudinem philosophicam et vulgarem non est differentia specifica, sed tantum accidentalis, quae duplici oritur ex capite: 1.° ex eo quod philosophica constat cognitione clariore et distinctiore, quoad fundamentum et motivum, quo mentis adhaesio innititur; et sic assensus philosophi potest accidentaliter esse firmior assensu hominis rudis: nam philosophus reflexione et meditatione, quibus assuetus est, melius introspicit, quid quisque conceptus importet, eumque explicare valet; dum contra idiota id non nisi difficilius praestat — Secundo ex eo quod philosophus ex clariore et distinctiore notitia, quam de conceptibus sibi comparat, facile etiam explicat quo pacto ii ad iudicandum atque inferendum adducant: quod sane perfectionem cognitionis importat, cum menti efficaciam tribuat ex iisdem principiis derivandi illationes remotiores, quae sine illa subtili et vivida idearum intuitione non patefierent.

D. 3. In resolutione scientiae ultimo sistimus in veracitate facultatum nostrarum: ergo in hac veracitate, si non fide caeca, saltem evidenter admissa, initium certitudinis, ac proinde philosophandi, reponendum est.

R. Dicendum quod resolutio scientiae in principia fit a mente, reflexione mediante: reflexio autem, ut iam diximus, duplex est, subiectiva nempe seu psychologica et obiectiva seu ontologica. Porro subiectiva respicit actum quoad *subiectivam* con-

siderationem, et secundum hunc modum, terminus ultimus resolutionis est certe veracitas facultatum nostrarum; quod plane ostendit, nos, quoad initium philosophandi, de ea veracitate dubitare non posse, ideoque methodum Cartesianam se prorsus ineptam prodere, ut iam supra vidimus. — At reflexio ontologica respicit actum quoad considerationem obiectivam; et secundum hunc modum, resolutio non ad veracitatem facultatum nostrarum, sed ad veritatem primorum principiorum, aliarumque rerum, quae cum iis necessario connectuntur, unice refertur tamquam ad ultimum motivum et fontem certitudinis conclusionis.

D. 4. In resolutione ontologica scientiae humanae ultimus terminus est perceptio individuorum sensibilium: omnis enim cognitio nostra incipit a sensu: ergo generatim initium philosophandi in *perceptione individuorum sensibilium* tantum reponi debet.

R. Dicendum quod hic non quaerimus idearum originem sed certitudinis fontem. Prior quaestio ad Ideologiam pertinet, eamque idcirco hoc loco transmittimus; praesertim quia, ut ibi ostendemus, perceptio sensuum *materiam* quidem exhibet idearum, non vero causam *efficientem*, quae in virtute quadam activa mentis posita est.

Quod vero pertinet ad praesentem quaestionem, iudicia quae scientiam constituunt, duplici sub aspectu spectari possunt, nimirum quoad partem empiricam et quoad partem rationalem. — Porro quoad partem *empiricam* initium philosophandi non in sola renuntiatione sensuum, sed etiam conscientiae situm

est; conscientia enim, non sensibus, attingimus existentiam nostram. — Quoad partem rationalem vero iudicia scientiae nostrae non aliud fundamentum habent propriae certitudinis, nisi principia prima et per se nota; quae non ex perceptione singularis existentiae, sed ex intellectu universalis essentiae aut ex mutua idearum relatione ingenerantur.

D. 5. Instabis. Cum principia possint esse etiam experimentalia, quae inductione comparantur; saltem quoad haec, ultimus resolutionis terminus, ac proinde initium philosophandi, in perceptione individuorum, quae inductio sectatur, reponendum erit.

R. Imprimis id sine incommodo concedi posset: nam principia *experimentalia* partem empiricam scientiae respiciunt, quae in perceptionem singularium rerum, sensibus aut conscientia perceptarum, tandem aliquando resolvitur, ut dictum est. Attamen haec principia, ut alias probavimus, non sola enumeratione casuum particularium innituntur, sed principio aliquo rationali, quod ipsis opitulatur ad universalitatem induendam: quare ex hac parte in huiusm. principium iure etiam resolvuntur.

Appendix. — *De arte critica et hermeneutica.*

Q. 1. Quid est ars critica et hermeneutica?

R. Critica generatim significat *artem bene iudicandi.* — Hoc lato sensu rebus omnibus, ut patet, applicari potest.

At in praesenti quaestione speciatim sumitur ad innuendam *artem bene iudicandi de factis hi-*

storicis, ac potissimum *de authentia et incorruptione librorum.*

Hermeneutica autem denotat *artem eruendi ex scriptis genuina Auctorum sensa;* et ab arte critica non omnino distinguitur, sed vel est eius pars, vel ex ea tamquam rivulus a fonte deducitur.

Q. 2. Quo pacto haec appendix de arte critica et hermeneutica cum Logica colligatur?

R. Haec appendix de arte critica et hermeneutica colligatur cum Logica, non quasi haec tractatio spectet ad scientias proprie dictas (reapse enim ad eas pertinet disciplinas quae variam eruditionem sive sacram sive profanam praebent, et potissimum ad Philologiam et Archeologiam revocatur); sed quatenus auctoritas quoque est criterium veritatis, licet externum; et scientiae experimentales saepe historicis factis, nempe observationibus naturalibus aut experimentis ab aliis sumptis et enarratis, delectantur.

Q. 3. Quo pacto dividitur huiusm. tractatio?

R. Tractatio huiusm. in tres articulos dividitur; quorum 1.us praecepta nonnulla tradit de existimatione et usu testimonii: 2.us de genuinis et incorruptis libris distinguendis: 3.us de legitima interpretatione librorum.

Art. 1. *De valore et usu testimonii in factis historicis diiudicandis.*

An et quo pacto testimonium fide dignorum vim habeat, in certis rerum adiunctis, *gignendi certitudinem,* in aliis probabilem saltem opinionem, iam superius diximus, ubi egimus de criterio externo veritatis.

At vero testimonium fide dignorum ad posteros extendi potest triplici via, nimirum traditione, historia et monumentis. De singulis hisce mediis pauca singillatim dicenda sunt.

§. 1. *De traditione (orali).*

Q. 1. Quid est traditio?

R. Traditio est continuata testium successio memoriam facti ore transmittentium.

Q. 2. Queisnam characteribus ornari debet traditio ut *plenam* fidem faciat?

Traditio ut plenam fidem faciat hisce characteribus ornari debet:

